EPISTOLAE
CELEBERRIMORUM VIRORUM,

nempe

H. GROTII, G. J. VOSSII,
A. SCHOTTI, J. WOUERII,
D. HEINSII C. GEVARTII,
I. F. GRONOVII,
G. PATINI, N. HEINSII,

aliorumque

ANTEHAC INEDITÆ.

In quibus plurima ad omne Eruditionis genus illuſtrandum occurrunt;

Ex Scriniis Literariis

JANI BRANTI

BIBLIOTECA NAZIONALE

AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS

MDCCXV.

Digitized by Google

VIRO
PRÆCELLENTI
ET
CELEBERRIMO
J. G. G.

S. P. D.

JOHANNES BRANT.
GERH. FIL.

DEDICATIO.

SUb auſpicio illuſtris Tui nominis prodit hæc Clariſſimorum virorum Epiſtolarum centuria, quam ex plus quam mille aliis ſelectam prælo mandare nuper mecum conſtituebam. Epiſtolas edere in lucem, quas, licet doctiſſimi homines familiariter ad ſe invicem ſcripſerint, nullo labore exaratas & fere nihil præter domeſtica continentes, ſemper improbavi: Dolui vicem, hâc de cauſâ, primi ordinis eruditorum, quo-

quorum Epiſtolæ poſt eorum obitum editæ, hoc modo mirum in modum contaminatæ ſunt. Quod niſi literæ aliquid contineant, quod ad Hiſtoriam ejus, quo ſcriptæ ſunt temporis, ad Theologiam, ad Literas Humaniores, vel ad emendationem & illuſtrationem veterum ſcriptorum faciat, nulla ratio eſt, cur in conſpectum orbis eruditi producantur. Tuus Cicero, cui illuſtrando Te ſumma cum laude dediſti, in Epiſtolis legendis, unus inſtar omnium haberi debet. Neſcio an acu rem tetigerim: Credo tamen Te pedibus, hâc in re, in meam ſententiam

iturum. Itaque Vir Celeberrime, non ægrè feres ſi has Clariſſimorum Virorum Epiſtolas Tuo nomine inſcribam: magni æſtimas hos viros, colis illa nomina, ſui ſæculi ornamenta, uti ego Te, ipsâ fremente invidiâ (quâ tamen dudum major fuiſti) maximum noſtræ memoriæ decus appellare audeo & ornamentum; quo ſummâ ſuâ felicitate Trajectina Academia gloriatur. Tu pacis atque otii cupientiſſimus ſerio dolere ſoles præclara doctorum hominum ingenia litigiis & rixis inter ſe committi, quas ſedare atque componere, ſi in tua eſſet

po-

poteſtate & arbitrio, primum eſſet animi tui votum. Ego vero, qui plus ſemel humaniter a te exceptus ſum, quemque tuo non tantum alloquio, verum etiam omni genere officiorum ac benevolentiæ complexus es, non diu dubitavi quemnam harum Epiſtolarum, paternæ diligentiæ relliquiarum, Patronum eligerem: Tibi haſce debeo, ut grati animi teſtimonium; &, quandoquidem nullo ætatis meæ tempore ab humanioribus literis abhorrui (quas operoſius excoluiſſem, ſi id permiſiſſet muneris mei ratio) rogo & obſecro ut in bonam par-

tem accipias hanc qualemcunque opellam, Tibi, ut ſpero & confido, non ingratam, & devoti animi pignus & teſſeram æternam.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

J. BRANT. GERH. FIL.

Non ægrè feres, mi Lector, ſi paucis te morer antequam ad harum Epiſtolarum lectionem te accingas: paſſim ordinem temporis obſervavi quo ſcriptæ ſunt; ſed neſcio quo caſu interveniente in poſterioribus id aliquatenus neglectum eſt. Exigui tamen hoc videtur momenti. Quædam Epiſtolæ mihi obviam factæ ſunt poſtquam aliæ priores jam erant impreſſæ, quas tamen ordine temporis præcedere oportebat: ſed quia ad pondus rerum magis attendi quam ad tempus quo ſunt exaratæ, res eodem redibit: Non ſcio, aliquam illarum in publicum prodiiſſe! Exſtat inter illas Epiſtola Viri Incomparabilis Iſaaci Caſauboni ad H. Grotium, omni præco-

nio

nio majorem, cujus altera ſolum pars lucem vidit, quam tamen integram huic opellæ inſerui. Literas Marini Merſenni Mathematici inſignis debeo liberalitati Cl. Theologi Philippi à Limborgh, Epiſtolas Cardinalis Sadoleti, Franciſci Rabeleſii & A. Riveti mecum communicarunt Celeberrimus Johannes Clericus, & Eruditiſſimus Scherpezelius: quo nomine ut, Tu lector, iſtis viris gratias agas, jus & æquum eſt. Si tamen aut una aut altera Epiſtola Tibi occurrat, quam ante etiam alibi reperiviſti, incuriam meam in bonam accipias partem rogo. Ita Tui temporis, quod in hiſce legendis impendere conſultum duxeris, nunquam pœnitebit: Vale.

In

In varias Virorum doctorum

EPISTOLAS

à

Reverendo Viro

JANO BRANTIO

in lucem editas.

Doctorum veneranda virûm collegerat olim
Monumenta Brantius Pater:
Deliciiſque animum laetus paſcebat in illis,
Dum fata ſervabant virum.
Nunc eadem mulcent animum oblectamina Gnati
Digni Parente Brantii.
Sed neque theſauros iſtos contentus habere
Offert habendos omnibus.
Alite ſic fauſta ſecli decora alta prioris
Stygiis tenebris evocat.
Evocat, & noſtras educit rurſus in oras,
Novaque dat vita frui.

Gra-

Digitized by Google

Gratia magna tibi, Branti, qui munere donas
Præſtante doctorum chorum.
Pro quibus officiis tibi doctae præmia frontis
Nectit virentem lauream

DAVID HOOGSTRATANUS.

IN

Digitized by Google

I N

JOHANNIS BRANTII

Centuriam Epiſtolarum doctorum virorum ab ipſo collectam.

EPiſtolarum nobilem farraginem,
Amice Lector, conſpicis: docti viri
Quas exararunt ſæculis prioribus,
Scriptis perennem conſecuti gloriam.
Has nunc paternis Brantius de ſcriniis,
Hæres paternæ laudis, in lucem trahit,
Orbique donat, publico ſtudens bono.
Gratare, Lector, huic labori, quem tuo
Suſcepit ille, deſtinatque, commodo,
Referque dignas hoc agenti gratias.

P. FRANCIUS.

In

In

EPISTOLAS

Clarorum Virorum ab Viro Reverendo

JOANNE BRANTIO

Editas.

F*Ragmina doctorum, Branti, pretioſa virorum,*
Te ſine, pulvereo deperitura ſitu,
Quam bene, quod famæ donas, orbiſque theatro,
Nec ſinis annoſa nocte ſepulta premi!
Devincis ipſos iſto tibi munere Manes:
Jamque aliis narrant de pietate tua.
Grande operæ pretium: quis finibus iſta legentur,
Tu quoque cum pulcro munere notus eris.

JANUS BROEKHUSIUS.

EPISTOLA I.

JHESUS.

GRatiam & pacem a Domino noſtro Jheſu Chriſto. Quod Sereniſſimam Majeſtatem tuam optime Imperator Carole Cæſ. audeo literis adire, nemo non optimo jure mirabitur. Quid enim inſolentius videri poteſt quam Regem Regum, ac Dominum Dominantium a vili & infimæ ſortis homuncione compellari? verum minus mirabitur quiſquis cauſæ magnitudinem contemplatus de Evangelica veritate agi intellexerit, quæ cum digna ſit etiam cæleſtis Majeſtatis thronum accedere, non indigna videri debet quæ terrenum Principem conveniat. Accedit quod terrenos principes, ut ſunt imagines cæleſtis, ita decet illum imitari, ut & ipſi in altis habitent, humilia tamen reſpiciant in terra, & ſuſcitent de terra inopem, & de ſtercore erigant pauperem. Venio itaque inops & pau-

per ante pedes Sereniſſimæ Majeſtatis tuæ proſtratus, indigniſſimus, digniſſimam tamen cauſam producturus. Editi ſunt a me libelli quidam, quibus multorum & magnorum mihi conflavi invidiam & indignationem, ubi duplici tutus eſſe præſidio debui. Primum quod invitus in publicum veni, nec niſi aliorum vi & inſidiis proditus ſcripſi, quicquid ſcripſi, nihil unquam ardentioribus votis expetens, quam ut in angulo meo laterem. Deinde quod teſte mea conſcientia & optimorum virorum judicio non niſi Evangelicam veritatem ſtudui evolgare adverſus ſuperſticioſas humanæ traditionis opiniones, atque ob hanc jam in tertium uſque annum patior ſine fine iras, contumelias, pericula, & quicquid mali poſſunt excogitare mali. Fruſtra interim ſilentium offero, fruſtra pacis conditiones propono; fruſtra erudiri meliora poſtulo. Unum eſt quod in me paratur tantum, ut extinguar cum univerſo Euangelio. Jam cum omnia fruſtra tentarim, viſum eſt tandem exemplo Divi Athanaſii Imperatoriam Majeſtatem invocare, ſi forte Dominus dignetur per eam ſuæ cauſæ adeſſe. Quare Sereniſſimæ Majeſtati Tuæ, Carole Princeps Regum terræ, ſuppliciter procumbens, ſupplico dignetur non me, ſed cauſam ipſam veritatis, ob quam tibi ſolam datum eſt gladium geſtare, in vindictam malorum, laudem

dem vero bonorum, ſub umbram alarum tuarum ſuſcipere & me in illa non amplius nec longius tueri, quam donec reddita ratione aut vicero, aut victus fuero. Nolo defendi ſi impius & hæreticus inventus fuero, unum peto ne damnetur ſive veritas ſive falſitas inaudita & inconvulſa. Chriſto faſces tot regnorum Sereniſſima Majeſtas tua debet. Is hoc repoſcit gratiæ ut veritatem eadem Sereniſſima Majeſtas tua tueatur. Hoc potiſſimum Imperii tui ornamentum, hoc ſæculi tui memorabile decus erit, ſi non patiatur Sacratiſſima Majeſtas tua, ut impius conculcetur & devoret juſtiorem ſe, & ſit facies hominis, ut Propheta ait, quaſi piſces maris, & quaſi reptilia non habentia ducem, dum ſit judicium & contradictio potentiorum. Ita me commendo, ita confido, ita ſpero in tuam Sacratiſſimam Majeſtatem. Quam Dominus Jheſus nobis ſervet & magnificet ad gloriam Euangelii ſui ſempiternam. Amen. Datum Wittembergæ die penultima Auguſti Anno Domini M D XX.

Sereniſſimæ Majeſtatis tuæ Imperatoriæ ac Regiæ

Clientulus Devotiſſ.

FR. MARTINUS LUTHER.
Auguſtinianus.

EPISTOLA II.

Clariſſimo Viro Domino

BERNHARDO PALUDANO

Civitatis Enchuſianæ doctori medico Domino & amico ſuo non è multis.

Enchuſiam S. P.

SAlutiferas tuas literas III. id. 7b. accepi: ſalutiferas voco, Vir Clariſſime, eo quod tuo præcipue Enemate, quo ad Iſiſradicos dolores uteris, & unguento etiam illo armoniaco uſus, ingens meus dolor, qui per ſex ſeptimanas integras indeſinenter me exagitaverat, naturali remediorum tuorum efficacia, fuerit retrocedere coactus, & per conſequens ſaluti quaſi priſtinæ reſtitutus. Propter quod tuum conſilium nullo fere munere remunerandum in perpetuum tibi ſumus devinctiſſimi. Non poſſum Vir Clariſſ. torturas meas & varias & infinitas adamuſſim deſcribere, ſaltem hoc habeas: Eumadem illam, ut vocas, me non ſaltem excarnificaſſe, ſed totum quaſi exoſſaſſe: oſſa enim, puto membra ipſa, in-

ceſ-

ceſſui priſtino permoleſte ſe accommodant, quo fit ut itineri ineundo prorſus adhuc ſim ineptus; alioquin quas nunc literis, vivo ore gratias tibi egiſſem maximiſſimas. Quod vero literis tuis doctiſſimis citius antehac non reſponderim, obfuit doloris ſævitia, & ſalutis deſiderium, de qua certiorem te facere exoptabam, tum & hoc imprimis, omnium noſtrorum conſiliis prævaluiſſe tua: de quibus iterum in æternum tibi gratias. Ubique juſſi inquirere num alicubi extaret Regum Perſarum Hiſtoria, exemplar nullum repperire potuerunt, ut nec Clyſii, Fabricii, Rauwolfii, neſcio quam indiga bonorum authorum officina Plantiniana. Extat hiſtoria aut narratio quædam belli Perſici authore Henrico Porſio, geſtum anno M. D. LXXIIX. Ejus ſcio te non teneri deſiderio, alioquin nunc una miſiſſem, ſunt enim meræ rapſodiæ, ſi tamen legere placet, mittam: ſervatur inter quiſquilias Bibliothecæ meæ propter iter Byzantinum heroico carmine ab eodem authore conſcriptum non inelegans; videtur in arte poëtica, utpote qui eſt Viennæ ejus artis profeſſor, quam oratoria exercitatior. Dominum Doctorem Pauwium ipſe non conveni, ſed per quemdam amanuenſem meum ſalutavi, & Peridis herbæ plantulam, uti petieras, ab eo poſtulavi: reſpondit, plantulam ſe non habere, ſed

 de

de ſemine ejus ad D. T. miſſurum & donaturum. Obnixe rogo clariſſime Domine Doctor, ſi quid tibi deſit, & in hiſce noſtris partibus inveniri queat, mihi illa ut commendes, & mecum erit iſte labor, confecta negotia reddam, ut ait Scorelius, quoniam tibi me confiteor innumeris obſtrictum modis. Atque amplius nunc etiam me tibi obſtringam; ſcio enim nihil tibi moleſtum, nihil inſuave ab amico profectum, nempe hoc pacto: ut ſcilicet quæſtionem, quam mihi quidam in hoc meo morbo, vir ſatis multæ lectionis propoſuit, dirimere velis; potes enim facillime, cui talia omnia ſunt notiſſima. Quæſtio eſt hæc: Inſpiciens Tabulam Geographicam Petri Plancii, quam ad ornatum Muſæi mihi comparaveram, dixit variis in locis, tam Regionum terminis, quam Provinciarum Regibus deſcribendis authorem craſſiſſime erraſſe, præcipuè vero in eo, quod neget Abyſſinorum aliaque Æthiopiæ Regna Presbytero Johanni parere, quum ait: *Hic longè lateque imperitat magnus ille Æthiopum Rex, qui ab Europæis perperam Presbyter Joannes vocatur.* Et hanc ſuam opinionem argumentis conabatur defendere, ſumptis ſcilicet ex Aloyſii Cadamuſti navigationis Cap. IX. quibus aſſentiri videtur Lib. II. cap. XV. Ludovicus Vartimamius. Cadamuſtus ſic habet: Nulli, inquit, inibi nempe

in

in Calechut ſunt Chriſtiani, quam qui Presbytero Johanni parent, quia diſtant mirum in modum urbe Calechut, quum citra mare Erythræum exiſtet non longè à Rege Melindarum in Africa introrſus multum verſus Nigritas prope Guinea: qui terminus fere idem eſt & Abyſſinorum Imperatoris, quod negare non potui. Sed modeſte reſpondi: Cadamuſti navigationem mihi non videri ſyncerè deſcriptam, ſive tranſlatam, non ſolum in hoc, ſed pleriſque etiam aliis in locis: Nam uſque ad tertiæ navigationis ſuæ deſcriptionem ipſum Cadamuſtum loquentem audis: tertia verò navigatione hinc inde digreditur ab equo videlicet ad aſinos: nunc eſt Calechutii, confeſtim in Africa, iterum in mari Rubro, hinc in Oceano Æthiopico, inde in Perſico ſinu, & ſic deinceps, neque uſquam ſibi conſtat: quapropter illa omnia ab incerto authore fuiſſe perperam annexa: & addidi, eundem Cadamuſtum, modo is fuerit author, quod vix credendum, Cap. LVIII. contrarium quiddam propoſitioni ſupradictæ inferre: ait enim Calechutii incolas habere mediocrem notitiam Presbyteri Johannis, verum non exercere invicem commercia, neque conſuetudines, quoniam multum abeſt ipſe à Calechut introrſum plurimum. Si introrſum inquio, hoc eſt, niſi fallor, in India, Tartaria, aut Perſia, ergo

non in Africam. Hic continuo authoritate Munſteri Coſmographi nunc ſe defendere conabatur, qui graviter dicit errare eos, qui ſedem Presbyteri Johannis in Aſia collocant, ignorantes duplicem eſſe Indiam, Aſianam & Æthiopicam, fateor verè ego me Æthiopicam Indiam ignorare, & addit: Regnum Prætojohannis confine Regno Soldani Ægyptii ab una plaga & ab alia regno Melindæ, ab occaſu vero pertingit ad Nigritas ſive Æthiopes interiores; Atque hoc modo Africæ meditullium, quod nunc temporis Abyſſinorum Imperator, poſſederit Prætojohannes: quod quidem concedere nequivi, neque tamen Munſterum ſcriptorem ſatis celebrem erroris redarguere. Saltem hoc reſpondi: ipſum Munſterum fateri ex ſcriptoribus antiquis & recentioribus Coſmographiæ ſuæ librum ſextum collegiſſe, & plura narrat in eodem libro nuſquam gentium aut viſa aut audita, ut de hominibus in pectore faciem habentibus, & ſimilibus, in quibus ut à vero Hiſtorico differt, ſic in ſede Presbyteri Johannis in Africa collocanda hiſtoricorum præcepta mihi non videtur aſſequutus. Quibus verbis viſus meus adverſarius parum ſubiraſci: ſed nihil commotus, ea quæ ſenſi libere ſum eloquutus, Johannem Presbyterum quem vocant, ſive Prætojohannem non regnare in Africa, ſed impe-

pe-

peraſſe in Aſia, antequam Tartarorum Rex Conchis illi imperium abſtulit. Sic enim Paulus Venetus, cujus ego authoritate opinionem meam ſtudui confirmare, Tartari, inquit, olim tributa pendebant magno cuidam Kegi Uncham nomine, quem hodie vulgo Presbyterum Johannem vocant; hic, dum primo Tartarorum regi Conchis filiam ſuam in uxorem collocari nollet, prælium inter eos commiſſum, ſicque factum eſt, ut Tartari Regnum Uncham penitus ſibi ſubjugarint. Si ſubjugatur in Aſia à Tartaris annis elapſis pluſquam trecentis oportet poſtliminio fuerit adeptus Imperium Africanum, quod nondum conſtat, ergo aut nullus eſt Imperator Prætojohannes, aut tributarius erit quidam Tartarorum Regi in Aſia. Sed argumentis hujuſmodi dum nondum illi meo adverſario ſatisfacerem, deceſſimus quaſi irreconciliati: Ego vero hujus rei certam definitionem ſcire cupiens non potui non tibi, Vir Clariſſime, iterum eſſe moleſtus, uti tuam mihi hac eadem de re ſententiam tranſcribas, qua inſtructus, tuo clypeo mihi paratur victoria. Agnoſco epiſtolæ ordinem me tranſgreſſum, ſed ignoſcas iſtarum quæſtionum ignaro & tyroni. Hæc tibi narravi: ſpero poſthac magis me fore exercitatum, concepi enim, quaſcunque poſſum invenire peregrinationes, navigationes, ſive iti-

nera, evolvere ea, loca obſcuriora, ſive incredula annotare, & ipſe, licet dolor me domi detineat, quaſi peregrinari; nam ſi quicquam eſt, quod noſtræ nos conditionis admoneat, peregrinatio certè id facit, in qua omnes rerum humanarum caſus, & varia fortunæ ludibria ſeſe offerunt. Nunc tandem vale Vir Clariſſime, & uxorem tuam, matronam pudiciſſimam, una cum Domino Petro Bertzio, cujus viri candor me totum ineſcavit, meo nomine plurimum reſaluta: optando ſalutationem meam ipſemet facere pariter & ..... navigationibus exercitatiſſimo, quem quoque meo nomine ſalutare digneris. Iterum vale Lugd. Bat. in ædibus Lochorſtianis. V. non, Octob. M.D.XCIII.

Tuus in æternum

DAMASUS à BLYENBURCH.

Prima hujus noctis vigilia ortum hic eſt incendium ingens & periculoſum, quod penitus abſumpſit ſuburbium Albæ portæ, vulgo *buyten de witte Poort*, & parum abfuit, quin civitas ipſa, aut ſaltem magna ejus pars igne rapidiſſimo, Ventorum vi maximâ ſuſcitato abſumta fuerit, quod tamen Deus Opt. Max. clementer avertit.

EPI-

EPISTOLA III.

Clariſſimo Viro Domino

HUGONI GROTIO,

Syndico & Conſiliario Reip. Roterodamenſis.

Roterodamum.

Ampliſſime Vir,

REcepI ante aliquot dies literas tuas una cum formula conciliationis inter D. Tilenum & Molinæum inſtitutæ; arbitrum hujus conciliationis D. Pleſſæum jam extremum diem obiiſſe, apud nos rumor eſt: utinam verò Deus animos eorum, qui Reipublicæ præſunt, ita moveat, ut vera via aliquando ineatur, qua & noſtra eccleſiarum diſſidia tandem componantur: Nullum aut patriæ aut eccleſiæ hoc quidem tempore majus beneficium præſtari poſſe judicant omnes, qui & patriæ & eccleſiæ bene volunt. Cui rei cum te plurimum conferre poſſe mihi perſuaſiſſimum ſit, ſpero Cl. Vir, te hoc officio genus & patriæ & eccleſiæ non negaturum, quod D. Pleſſæus patriæ ſuæ tam feliciter exhibuit, ut & nos tandem arma ac vires noſtras a nobis mutuo contra communes eccleſiæ hoſtes poſſimus con-

convertere. Audio ad vos utrinque accerſitos, qui de ſedandis apud vos turbis conſilia conferant; faxit Deus ut continuato ſtudio res ad exitum optatum perducatur. Mitto tibi exemplar libelli a me editi, in quo perſpicuitati & brevitati, quantum poſſum, ſtudui; rationum momenta ut ſerio examinentur, non refugio, meliora monenti libenter cedam, quemadmodum & tibi hunc eſſe animum ſatis ſum certus: eccleſiæ Chriſti res agitur, non noſtra, ego magiſtratui honorem omnem deferre didici, qui ipſi debetur; interim tamen miniſtris Chriſti non eſt adimendum, quod Dei verbum, & eccleſiæ conſenſus eis ſemper tribuit: ex uticumque recta συζυγία pendet eccleſiæ firmitas, etſi ſine illis eccleſia eſſe poteſt, ſine hiſce nunquam. Si veritatis cauſa etiam propria placita ſunt reſcindenda, multo magis Chriſti, qui ſolus eſt eccleſiæ ſuæ caput; utinam vero id genus ſcripta quotidie non prodeant, in quibus conviciis potius certatur quam argumentis, quæ & charitati Chriſtianæ & eccleſiarum paci non parum officiunt, opto authoribus eorum meliorem mentem, & Deum rogo Cl. Vir, ut ſpiritu veritatis & prudentiæ tibi ſemper adſiſtat. Vale, dat. Middelb. 29. Novembris 1615.

T. D. Studioſiſſimus

ANTONIUS WALÆUS.

EPI.

EPISTOLA IV.

Ampliſſimo & Incomparabili Viro

D. HUGONI GROTIO

Urbis Roterodamenſis Syndico &c.

Roterodamum.

Vir Clariſſime & Incomparabilis.

TAndem aliquando homo noſter è Gallia reverſus eſt, qui Illuſtr. D. Legato eo excurrendi veniam à Rege attulit, ſed ob ingruentia indies hic negotia certum profectionis ſuæ diem necdum conſtituit, quod ubi fecerit, quamprimum ſe tibi ſignificaturum dixit, nihilque ſibi gratius fore, quam ſi frater tuus ſe ei comitem adjungat.

Remitto ecce PAPINIUM manu tuâ notatum, quo jam non uſus (annus enim jam eſt ex quo accepi) ſed pene abuſus ſum. Et vereor ſane, ne parvam dignitatis tuæ rationem habuiſſe videar, qui tam diu illum apud me detinuerim. Sed adeo multis locis mihi ad eum recurrendum fuit, totieſque in denſo illo SYLVARUM luco facem prætulit, ut ægre illum à me dimiſerim. Noveram etiam te

te modo gravioribus ſtudiis occupatum, ideoque eo exemplari non admodum egere credidi. Spero itaque ſi quid in mora peccatum eſt, facile veniam te daturum.

Dici profecto non poteſt quoties divinæ illæ conjecturæ tuæ margini aſſcriptæ omnem mihi difficultatem exemerint, ita ut non conjecturas, ſed ORACULA, ab APOLLINE DELPHIO verè effata exiſtimem.

Equidem bonâ (ut ſpero) veniâ tuâ, illas notulis meis Statianis, ceu purpuram panno meo interſeram. Sed non parum vereor, ne, quemadmodum Phyſici ajunt, aquilarum pennas, ſi aliarum avium pennis adjiciantur, omnes illas putrefacere, ita etiam notæ tuæ, meas penitus extinguant, & nullius notæ reddant. Tu enim vere Europæ noſtræ aquila es, qui adeo *altè caput inter nubila condis*, ut nemo ad te aſpirare audeat.

Cæterum Lib. VII. Theb. locum à te notatum reperi, quæ res mihi majorem inquirendi cauſam dedit. pag. ecce 250. ubi Lactantius vetus interpres illum locum explicat

——— *gelidæ de colle Tanagræ*

ita legitur: *TANAGRE Civitas Euboeæ, quæ nunc Penanoria vocatur.* Non dubito quin

quin locum illum notandum duxeris ob monſtrum illud vocabuli *Penanoria*, quod nuſquam apud Geographos extat. Equidem exigua mutatione legendum putabam *Poemandria*. Stephanus enim in urbibus teſtatur *Tanagram*, prius Ποιμανδρίαν dictam fuiſſe. Hunc ergo locum facio judicii tui.

Sed & alter difficilis locus exſtat XII. Theb. pag. 420. verſu 581. in oratione Argivarum mulierum ad Theſeum, quem ita affantur:

> *Si patriam Marathona metu, ſi tecta levaſti,*
> *Creſſia, nec fudit vanos anus hoſpita fletus.*

Quamnam ibi *anum hoſpitam* intelligit? Nam interpretes ibi omnes Harpocratem agunt. Video te dubitaſſe an de *Paſiphae* intelligendum ſit, & vellem certe ejus interpretationis rationem addidiſſes. Ego aliquando ſuſpicatus ſum de *Hecale* recte intelligi poſſe. Refert enim Plutarchus in Theſeo *Hecalen anum* ſolitam fuiſſe Theſeum hoſpitio excipere, proque illius ad pugnam profecturi felici reditu multis cum lachrymis vota Diis nuncupaſſe. In cujus beneficii memoriam inſtituit poſtea Theſeus *Hecaleſion* feſtum. Et de hac eàdem Petronius in Satyrico:

Qua-

Digitized by Google

Qualis in Actæâ quondam fuit hoſpita terrâ
Digna ſacris Hecale, quam Muſa loquentibus annis
Battiadæ veteris mirando tradidit ævo.

Ita enim apud Petron. legendum, non *Hecate*, quod in vulgat. Editionibus, ubi interpretes multa de *Hecates cæna* fruſtra nugantur.

Quin & Apulejus I. Metam. *Theſei illius*, inquit, *virtutes æmulaveris, qui non eſt aſpernatus Hecales anus hoſpitium tenue.*

De hâc eâdem Hecale juſtum Poëma ſcripſiſſe Callimachum, Batti fil. teſtis eſt Suidas, & Petronius ſupra indicavit. Citant autem veteres Grammatici hunc Callimachi verſum:

Μέλπω δὲ γεραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους

Itaque quando Poëta noſter ait: *non vanos fletus fudiſſe anum*, crediderim ipſum indicare Hecalen non fruſtrà pro ſoſpite Theſei è pugnâ reditu vota feciſſe, quandoquidem victor inde reverſus eſt.

Hæc latius ad Te ſcribo Vir Ampliſſ. non ut te docerem, (quid enim ſus Minervam?) ſed ut vel me errantem corrigeres, vel ſententiam tuam, quam unico ibi verbo indicaſti, latius explicares.

Poë-

Poëmata Tua omnia ego jam pridem ſolus, & nuper maximam eorum partem cum D. Legato percurri. Deus bone! quoties ad igneos illos impetus exclamabat, nihilque divinius dici prædicabat! equidem quamvis captum illa meum ſuperent, nec noſtrum ſit de illis ferre judicium, illud tamen auſim dicere, poſt Claudianum neminem talia edidiſſe poëmata, ſeu verba quis, ſeu materiem ſpectent. Vivent, vivent illa: & cum aliorum Poëmata, quæ quotidie proferuntur in lucem, ſolam voluptatem habeant, Tu ratione materiæ, quâ pleraque immortalia Patriæ geſta complexus es, etiam utilitatem conjunxiſti, quemadmodum Claudianus, quam adeo feliciter expreſſiſti, etiam totam ſæculi ſui hiſtoriam verſibus celebravit. Sed deſino ſcripta tua laudare, qui illa potius, (ut de *divinis* ait Ariſtoteles) veneratione debeam, quam laudatione proſequi. Vale Vir omnium maxime, quo uno Batavia, ut cæteras gentes armorum, ita etiam ſtyli, & eruditionis gloria vincit, meque perpetuum clariſſimarum virtutum tuarum præconem ac cultorem fore Tibi perſuade. Mitto hic etiam litteras Rigaltii, quas homo noſter è Galliis ſecum attulit. D. Legatus officioſiſſimè Te ſalutat, & ſcire avet, *an* & *quando* huc ſis excurſu-

rus. Hagæ Comitis XIII. Januarii cIↄ Iↄ cXVII.

Amplitud. Tuæ Obſervant. Cultor

J. Casperius Gevartius.

EPISTOLA V.

Magnifico, Ampliſſimo, Clariſſimo Viro

D. HUGONI GROTIO, J. C.

Reip. Roterodamenſis Syndico.

Magnifice Ampliſſimeque Domine.

ADoleſcens, qui has tibi literas tradet, eſt alumnus Illuſtrium DD. Ordinum in Collegio Theologico. Is dixit mihi, ſe una cum adfine ſuo, Eccleſiaſte diœceſios Delphenſis, adfuiſſe urbis veſtræ paſtoribus: his expoſuiſſe, ut jam propemodum exſpirarit ſexennium ſtudiis ſuis deſtinatum, eoque rogaſſe, ut quandoquidem vacaret miniſterium Eccleſiaſticum in Hillegonsberg, & propediem vacatum ſit in Cralingen, alterutri ſe Eccleſiæ com-

commendare vellent: illos omnia benignè promiſiſſe: ſed quia urbis veſtræ magiſtratus præeſſet pago Hillegonsberg, eo ſive ipſos ſive alios auctores fuiſſe ſibi, ut ſi poſſet, commendatitias à me literas ad A. T. impetraret. Cognovi poſtea eſſe item Brenium quendam, adoleſcentem egregiè eruditum, & alterum mihi ignotum, Watelirium nomine, qui eodem adſpirarent: atque hos magis niti commendatione Eccleſiaſtarum quos hic habemus Remonſtrantium partibus addictos. Præterea in mentem venit, prope integrum ſemeſtre ſupereſſe quo hic noſter in Collegio habitare poſſit. Nihilominus gratificari volui, tum quia diſcipulus erat, tum quod & pietate & modeſtia ſe ſemper mihi probaſſet, nec eruditione vel facundia eſſet adſpernanda, ſed talis, ut verbo dicam, quem Eccleſiæ & gratum & utilem fore ſperemus. Neque tamen prætereundum arbitror, perſiſtere me in propoſito vetere, ut ſatius putem, Junium in pago ſe prius aliquamdiu exercere, quam ut urbanam vocationem exſpectet. Eoque optem præferri illum in Hillegonsberg, non tantum quia adfinis, ſed etiam quia magis meretur. Sane quotidie magna capit ſtudiorum, facundiæ & παῤῥησίας incrementa: ac populo in dies gratior fit. Quare nec defuere, qui, quandoquidem Diamantius iterum incidit in recidivum, &

multum medicus ejus vitam metuit, adfini adfinem ſuccedere poſſe ſperarent: præſertim quia ea tempora ſunt, ut difficulter nanciſci ſit paſtores Eccleſiarum bonos. Sed magis Diamantium longævum optem. Atque ut voto hoc excidam, quamquam ſcio hac parte in B. Lydio & aliis peccatum eſſe, tamen magis nos retinentes eſſe velim conſuetudinis antiquæ, nec adoleſcentes ſtatim ex Academiis evehi ad Presbyterii urbani dignitatem. Et ſane gaudeo adfinem præter adoleſcentiæ morem (qua peſtilenti ambitionis ſidere adflata eſt, hydropis inſtar ſemper accreſcentis) omnino malle in pago paſtoralis muneris ponere tyrocinia. Heſterna die ego, Patius, Corvinus & typotheta collocuti inter nos ſumus de editione aureæ commentationis tuæ de Satisfactione Chriſti adverſus Socinum. Placebat Corvino, ut nec ingentibus illis typis, quibus Pietas excuſa eſt, nec minoribus illis ederetur, quibus Corvini Antibogermannus excuſus eſt: ſed mediis iſtis, quibus Baſſonius uſus eſt in Barlæi Bogermanno ἐλεγχομένῳ. Sed Baſſoniani typi planè ſunt attriti. Patius vero demum ineunte Majo accepturus eſt Francofurto ejus magnitudinis typos novos ſane quam elegantes. Non diſplicebat itaque Corvino, ut tamdiu editio differreretur: idque eo magis, quia vix veriſimile ſibi fiat ante nundinas proximas ab-

abſolvi poſſe. Sanè ſi vel gelare ceperit, vel minimum quid intervenerit planè nos fruſtra fore: cum minimum bimeſtris labor ſit, ut vel maximè feſtinent operæ, ac tantundem, non amplius ſpatii ſit à nundinis proximis. Adde quod ſi partem tantummodo ante nundinas proximas abſolvant, utut paucis poſt nundinas diebus lucem videre poſſet, tamen nec per Hollandiam divulgari poſſe ante nundinas Francofurtenſes, ne ante id tempus recudant Germani, qui partim, quia immunes ſint à tranſportandi ſumtibus, partim quia charta & typis deterioribus utantur, longe minori pretio vendere ſua poſſint. Vale Ampliſſime Domine, & quandoquidem perturbatis hiſce temporibus patriæ tuâ operâ uti viſum fuit, eam, utut multa præter votum cadant, animi ſemper firmitatem habe, quam à morbo tuo divinâ te gratiâ habiturum poſthac ſperabas. Id ſpero tuis, noſtris, tot bonorum precibus dabit Deus, cui te, familiamque omnem commendamus. Uxori ſalutem plurimam. cIɔ Iɔ cxvii. Pr. Kal. Febr.

Tuus tuo merito

G. Vossius.

De Semipelagianis jam telam orſus eram: ſed video ſubinde hæſuram lectori aquam, niſi Pelagii ſententiam prius intellexerit. Quare decretum prius diſſertatiunculam concinnare, quo omnes Pelagii errores complectar. Eam heri cœpi. ἔῤῥωσο.

EPISTOLA VI.

Magnifico Ampliſſimoque Viro

D. HUGONI GROTIO,

Syndico Roterodamenſi, & Delegato in Collegium Ill. Holl. Ord. Senatum.

Magnifice Clariſſimeque Domine.

ABbotius in Apocalypſin nec in officinarum pergulis, nec in amicorum Bibliothecis comparet. Si ſcripſit, Anglicè ſcripſerit credo, de quo certiora dicere poſſet aſſinis Junius. Habeo Abbotium de Antichriſto: quem an volueris non ſat ſcio: ſed tamen mittere volui. De reformatione Cotonienſis Archiepiſcopi ſæpius à me Bertius eſt compellatus. ſed habère negat, ac vel ad Hogerbetium vel Utenbogartium remittit. quorum illum, ſimulac Haga redierit, compellabo. Reſponſum Junii ad quæſtionem, num arma ad religionis defenſionem à ſubditis ſuſcipi poſſint, interea fuit, quæ ex ore ex tempore dictantis domi ſunt excepta. Habui ea prope univerſa, ſed una cum pulviſculo omnia in Friſiam abſtulit affinis Caſimirus, hoc fine, uti ajebat,

ut

ut cum ſuis conferret, & ſi non inconſultum Juniani nominis amantibus videretur, ederet in lucem. Sed antequam, tu Ampliſſime vir, ejus reſponſi apud me mentionem feciſſes, cognoveram ex Coddæo, hoc reſponſum in ſchedis ſuis habere. Ergo quam primum cognovi. cui, ut poſtulatum tuum expoſui, lubentiſſimè ſe communicaturum reſpondit. Sed poſt horas duas rediens, invenire poſſe negat, & cum inter chartas deeſſe aliquas cognoſcat, metuere ne jam diu ſit quod alteri dederit legendas, atque in iis ſit hoc reſponſum. Corvinus non arbitratur exſtare apud ſuorum quemquam. Ita vides, ut non defuerit animus morem gerendi tibi, ſed nihil effecerim, quo nomine doleo. Quod in Anglicanis tarde adeo procedatur, partim Bertius in cauſſa fuit, qui heſterna demum die triplicis Ordinum decreti tranſlationem ad me tulit, partim amanuenſis, induſtrius quidem adoleſcens, ſed qui ab excipiendis & cum ſchedis commilitonum conferendis Epiſcopii lectionibus, quas auro contra caras non putat, ægrè avellatur. Jam tamen exemplar unum habemus. Et his feriis natalitiis totum ſe his deſcribendis dabit, nihil orſurus priuſquam telam iſtam pertexerit. Corvini librum, quia occaſio erat, mitto. Scio tamen carere eo potuiſſe, uſque dum Anglicana ſint deſcripta. Id inter triduum aut quatri-

duum fore ſpero. Simul tunc mittam hiſtoriæ noſtræ Pelagianæ lib. quintum, qui eſt de Prædeſtinatione. Nam penè jam deſcriptus eſt. Sextus erit de Reprobatione: cujus appendicula eſt de cauſſa Godeſcalci. Eam, licet necdum reſectam, ad te mitto. Spero non ingratum fore, quando hactenus rectè tractata eſt à nemine. Si non diſplicet tibi liber primus operis, qui eſt εἰσαγωγικὸς, ſtatim à Kal. Januariis poterit prælo committi. Scis lentas eſſe operas. Ego quia jam opus omne abſolvi, minùs temporis in exſcribendo requiram quam illi in excudendo. De vino, ſi moleſtum non eſt, memor eris. Nec ſi carius paullo nunc ſit, quam cum ipſe emerem, eo intermitti velim. Quod eo dico, quia Gallicanis vinis hic pretium auctum eſt. Vale Ampliſſime Domine. Uxori ſalutem maximam. XXII. Dec. cIↄ Iↄ CXVII:

Tuus totus

G. Vossius.

EPI-

EPISTOLA VII.

Clariſſime Doctiſſimeque

G R O T I.

TEne evaſiſſe dirum carcerem? Tene tot ærumnis exantlatis, Antverpiam noſtram amabilem & amænam urbem tenere? O FELICITER; gratulor ore intimoque corde, tibi, nobis, & Muſis ſacris. Sane Clariſſimo ROELANTIO Syndico, de adventu tuo & inſperatiſſimâ evaſione hodie diſerte differenti, fidem negaſſem, niſi in ſchedulâ chirographi tui ſignum avidis imo anhelantibus oculis aſpexiſſem. Bene eſt, te iterum corde amplector, & gaudeo. Debebatur tibi, iterum dico, debebatur Muſarum Genio, ne ſquallor carceris, ne infelicitas infidæ rebellionis diutius ingenii tui elegantiam premeret. Ecce libertati & REGI redditus es; OPTIMIQUE PRINCIPIS ſecuritas te jam complexa eſt. Amabo te ſingula circumſpice & pondera. Ego ante annum, honeſto munere a SERENISSIMO PRINCIPE meo honeſtatus, hic Bruxellis habitare cœpi. Ibi te brevi ſpero, vel Antverpiæ videbo, comple-

ſtarque; & ſuavitate ingenii tui fruar. Macte virtute iſtâ. *Pulchrum eſt benedicere, etiam bene facere haud abſurdum.* Salve mi GROTI & redama, etiam reſcribe. Bruxell. cIↄ Iↄcxxi. iv. Kal. April.

Ex animo dedititiſſimus

JOANNES WOUERIUS
Antverpienſis.

EPISTOLA VIII.

Viro Ampliſſimo

D. HUGONI GROTIO.

Lutetiam.

Ampliſſime Domine,

QUantum dolorem vulnus tibi inflictum incuſſit, tanta inſperata libertas voluptate perfudit, & labore ſupervacuo levavit. geſtiebat enim animus ſolari eum, qui de noſtri ordinis hominibus & privatim & publicè bene eſſet meritus. Cogitabam tamen fruſtra ad patientiam hortari eum, qui certamen cum

cum ipſa fortuna ultro popoſciſſet. Memineram te illuſtre ingenium Philoſophia imbuiſſe non quidem ut magnifico nomine (ut ait ille) ſegne otium velares, ſed quo firmior adverſus fortuita vitam traduceres. Quorum ſane ſtudiorum fructum uberrimum ſenſiſſe te tot noverunt, quot nominis tui ſplendor perſtrinxit. Et quanquam vota abſentium & deſideria non valde juvent, minuunt tamen neſcio dolorem, & conceptam de fortunæ adverſitate triſtitiam. Quod ſane in me ipſo quoad te maximè ſenſi, cum inſperatus & gratiſſimus libertatis tuæ nuncius, cives noſtros ædibus evocaſſet; juraſſes illic ab omnibus agi de imperii ſumma, provincia capta, aut Annibale profligato, adeo ſolicite omnes hiſtoriam narrabant. Illius diei & facinoris memoriam ſacravimus, conſcio Baccho omnium Deorum maximè populari. Ego tibi tuiſque vivo, ſimul etiam juvenem iſtum tibi commendo: cujus maximum votum eſt te videre & alloqui. Vale Vir Ampliſſime, Prid. Nonas Maj. Lugd. Batav.

T. T.

GILBERTUS JACCHÆUS.

EPI-

EPISTOLA IX.

Viro Clariſſimo

D. HUGONI GROTIO

Lutetiam.

Vir Clariſſime,

NIſi me aulicus æſtus abripuiſſet D. Janinio Lutetiam repetenti, futurus eram comes, fruendi tui cauſa. Ex eo intelligere potuiſti, quanti te Megiſtanæ noſtri faciant. Laudant omnes eximias ingenii tui dotes, nec parvam tibi conciliaſti gratiam, quum in quæſtione de te habita, vir bonus undequaque repertus es, hoc tantum excepto, quod nomini & fœderi Gallico nimium faveres. Perfer & obdura, doctiſſime Groti, tutum & benignum hoſpitium apud nos tibi erit. Habes enim notorem certiſſimum Janinium, cujus commendatione, tua jam virtus Illuſtriſſimo Duci Luinio innotuit. Hujus conſilio & authoritate, ab optimo & magnanimo Principe, & præſens xenium, & annuum congiarium tibi decretum eſt. Hoc fruere donec tempeſtas civilis deſæviat, & aliquo ingenii tui fœtu majora beneficia provocare li-

liceat: meam certe operam, licet exiguam, nullo loco tibi defuturam polliceor. Quod ſi & de Rep. aliquid audire aves, Rex in obſidione Angeriani oppidi munitiſſimi in Santonibus, totus eſt, cui ſi felix contigerit exitus, & firmiorem pacem, & quietem Muſis amicam ſpero. Videant interea Ordines veſtri, ne ſuppetias obſeſſis ferant. Non enim religionis negotium vertitur. Bonos & pacis ſtudioſos cives, Rex æquali jure complectitur, ſed factioſos, & qui purioris cultus obtentu, ſtatum Regni convellant, comprimi publicè intereſt. Vale, Vir Clariſſime, & nos ama. Ex Caſtris ad Angerianum Id. Junii cIↄ Iↄcxxi.

Tui ſtudioſiſſimus & amantiſſimus

Jo. Tumerius Bossizius.

EPI-

EPISTOLA X.

Viro Ampliſſimo

HUGONI GROTIO.

Ampliſſime Domine,

NIhil libentius à Gevartio noſtro accepi, quam apud ſe quoque poëmata mea inveniſſe gratiam, & non publico ſapore tincta videri. Speciosum enim duco ornari laudibus, cujus cupidine etiam quam ſatis eſt omnes tangimur. Et hæc potiſſimum mihi ingenii exerendi cauſſa fuit, ut experirer eruditiorum judicia, & ſcriptionis pretium à famâ æſtimarem. Nunc primum incipio credere me digna poſteris condidiſſe, de quibus tanti viri tam magnifice ſentiunt. Quantum vero judicio tuo tribuam, ex eo cognoſces, quod prædicatione iſta non ſolum illuſtrari ipſas Muſas; ſed & memoriam mei prorogari exiſtimem. Non ſine noſtro, & bonorum omnium gaudio ſalvum te, ſquallorem, & triſtitiam carceris evaſiſſe accepimus. Magnus quidem animus ubicumque eſt, liber eſt: tamen propter commercium, quod illi familiarius eſt; hoſpitis ſui, id eſt, corporis miſeriis haut

haut ingemiſcere, & torpere non poteſt. Sed de tantâ fortunâ ut tibi potiſſimum gratulor, ita & Muſis gaudeo. Gaudeo inquam Muſis, quibus poſtliminio reſtitutus, jam invenies otium, quod à Rep. impetrare non poteras. Ego te, clariſſime Groti, liberius provoco, quia nihil humanius eſt ipſis litteris, quæ etiam ab humanitate nomen traxêre. Idem genius, eadem ſtudia nos conjungunt; quibus confiſus, ad notitiam tui ſtruo; quod longè ante tentaſſem, niſi diremiſſet nos priorum temporum calamitas, & metus partium, ad ultimum fortunæ tuæ atrocitas. Nunc ſecurus ad te venio. Et ut propius me intelligas, libellum porrigo, de quo etiam judicii tui trutinam exſpecto. Inſunt offendicula quædam typographi, quæ cum occurrerint ingenio facile ſupplebis. Per forenſes enim curas intereſſe mihi editioni non licuit, &, ut ſcis, genus iſtud hominum, extra lucrum, nihil cogitat. Vale Phæbi delicium, & me quoque inter tuos numera. Gandavi XI. Octob. MIↃCXXI.

Amplissime Domine,

Virtutibus tuis addictus

Nicolaus Burgundius.

EPISTOLA XI.

Clariſſimo Viro

H. GROTIO I. C.

Lutetiam.

QUam mihi gratum munus exſtitit Tuum Stobæanæ poëſeos interpretatio Tua, Doctiſſ. Groti, tam precor multa è Regia illa Bibliotheca in voluntario hoc Tuo exſilio proferas, rogoque quæ ſint *digna vel à ſera poſteritate legi* atque utinam integrum ſolidumque ut ſit opus, alteram Joan. Stobæi partem, quæ ἀποφθέγματα & philoſophicas continet γνώμας pari felicitate aliquando ſubjungas, & quæ Gul. Canterus Φυσικὰ καὶ ἠθικὰ typis exhibuit Plantinianis, ſed ſine principio *quod habeo è Farneſiano* Cod. deſcriptum auctius: & quidem ordine à Photio noſtro præſcripto. Dimidia quoque Stobæi *pars ſermonum* ſect. 1. penes me calamo exarata, ſed recentiore manu, neque in membranis, ut Regii veſtri Codd. ut conjicio. Poſſem ſi volenti eſſet, variantes inde decerpere ſcripturas, & ſubmittere. Narro autem Tibi, habere & per me Petrum de La Roviere typographum Allo-

lobrog. (qui ſolus pene ibi poſt Commelinum Græca hac tempeſtate excudebat) ejuſque *nunc hæredes*, nuper enim exſtinctum inaudivi; habere inquam *fragmenta Tragicorum* Gr. Græcè è Stobæo aliiſque, Æſchyli, Sophoclis, & Euripidis, earum quæ interciderunt Tragædiarum, item *Menandri & Comicorum* Gr. & Epigramm. ἀποσπάσματα Theod. Canteri hic tum exſulantis opera collecta digeſtaque dramatum ordine, mihique credidit depoſitum, titulo tantum appenſo EX BIBLIOTH. TH. CANTERI *Ultrajectini*: quandoquidem Roviere Tragicos tres ſimul, & comicum Ariſtoph. ediderat recens, & ad me miſerat, ſuaſi ut fragmenta vel in 8. ſimul ederet, à me Latina facta, cum Scholiis magnam partem ex Caſaub. V. C. Animadverſionibus; rogo itaque cum manibus Viri Opt. & hæredum, ut per epiſtolam, vel per amicos, & Cl. Salmaſium (ad quem ante annos aliquot *Scholia MS.* miſi in Antholog. Gr. Epigr. longe auctiora editis ſcholiis, idque in ſarcina *ad R. P* Frontonem, neſcio an habeat) extorquere ab hæredibus Roverii, quia abes propius, velit ne pereant illæ Theod. Canteri vigiliæ mei fidei commiſſæ: deinde quia Treviros illos Tragicos moliris, in arce illa Lupiſtena, cuſtodiaque elaboratos, ut præfaris, Opus ſane tuum & in

eadem mortui calamitate à ſuis illata, augebit ornabitque mihi crede; & à plagiarii liberabis, potes enim, mala manu. ego quoque fidem operâ Tuâ cito promiſſam liberabo, agnoſcamque beneficium, quod Herculi veluti clavam extorſeris: & illi faſce illo levari fortè gaudebunt, peribuntque, ut fieri amat, domino extincto: ſuntque in Scaligerianis ἅπασιν edendis Roveriani plus ſatis occupati, editis jam vaſtis Aug. Thuani Chronicis. Miſeram & Euripidis, cujus verſus ſinguli prope ſententiæ ſunt, M. Tullio ad Tironem teſtante, Tragædias VII. aut VIII. Latinis verſibus redactas à doctis, ut ſimul extruderet, Eraſmo interprete duas, totidem G. Buchanano, & una Petro Tiara Medea, item una Q. Florente, niſi fallit memoria ſenilis: eas quoque repete, & vindicias ſecundum libertatem, ut Juriſconſulti veſtri loquuntur, aſſerendo dabis, quomodo G. Ratallerus totum, ut noſti, Sophoclem dedit. Sed hæc de Tragicis in hac vitæ ſcena, quam agimus.

Legeram nondum complicatis Stobæi tui foliis Baſilii M. πρὸς νέους Homiliam ſubito, etſi olim legiſſem, quia novam tuam interpretationem & notas uberiores tuas optabam. Olim enim in Baſilio Antverpiæ edito An. cIↃ IↃcXVI. ad oram illius concionis quædam alleveram, ſi forte ad vos allatum exemplar eſt: & poſtea

ad-

adauxit P. noſter Fronto Ducæus Græcè doctiſſ. (quo viro ut utaris cum Jac. Sirmondo, & Dion. Petavio, majorem in modum rogo, quæſoque) in Baſilii edit. Græcolatina Pariſienſi, anni M. DC. XVIII. notabam equidem hæc pauca. Pag. 84. v. 7. ὡς τὸ ἄνθος ἐπάγουσιν, redditur, *lumen inducunt*. *Florem* retinuiſſem, ut apud Nonium Marcellum multi florem liberi, vini, ſimiliumque, niſi τὸ φῶς legas: aut quis latinorum purpuræ lumen dixerit, equidem ignoro. Mox v. 13. προύργον, mallem Ἀττικῶς προύργου. pag. 91. v. 2. μόνον ut repetitum redundat, ut è membranis jam Ducæus monet. v. 22. ἄλλοτε ἄλλῳ in Theogn. lego, ſed nihil intereſt. Statim pro Χῖος repono Κήιος, quæ Prodici Sophiſtæ patria eſt, teſte Suida, non Κῷος, ut vult in Sophiſt. vitis Philoſtratus. Pag. 100. v. 21. ἀπεχθῶς εἰς πῦρ ξαίνοντες, novi ξαίνειν carminare eſſe & lanam carpere: doce me, potes enim, quia in notis non attigiſti, in ſuppliciis inferorum id uſitatum, ut de cribro dolioque pertuſo Danaidum nota res è Poëtis. appoſui pauca, ut me legiſſe, & lecturum credas reliqua, diſcendi gratia, ut in προλεγομ. multa notavi mihi profutura libris divinarum obſervationum, quas meditor σὺν θεῷ. in Plutarchum vero de Poëtis audiendis ſcripſit olim uberiores notas G. Xylander, ut & in Plut. de Homeri

vita, Baſileæ typis Oporinianis an. 1566. quas notas miror equidem Cl. Marnium in edit. Francof. non adjunxiſſe ceteris ejus Scholiis in opuſcula moralia. Et quia Lutetiæ eadem denuo Plutarchi editio excuditur, mone quæſo, conſortes Typographos ut Xylandri illas addant notas in Plut. de poëtis audiendis, & de Homeri vita. Habuit quoque in Plutarch. varias Lectiones David Hœſchelius à me. Forſitan Elias Auguſtanæ præfectus Biblioth. poterit rogatus recuperare ac redhibere, ſi habet. Lauta hæc fuerit, grataque ad Plutarchum acceſſio: nam & ego opuſculorum Plutarchi duos habeo Codd. ſed non perinde vetuſtos.

D. Hemelario civi, hic Flamini tradidi ad te mittendas cum ſuis Epiſtolas prope DC. hactenus ineditas S. Iſidori Peluſiotæ, græcè, à nobis erutas è Vaticanâ Bibliotheca. Mitto ἀντίδωρον ſed χάλκεα χρυσείων, fatebor enim, niſi quia ſacer eſt ſcriptor, diſertus & χρυσοῤῥήμονος diſcipulus: & quia neque à Jac. Billio, neque à Conr. Rittershuſio J.C. ſunt editæ. Latinam meam interpretationem nondum ſubjunxi, ſi plures forte aliunde nanciſcar, vel expiſcari è Regis Catholici Biblioth. poſſimus: quo miſimus. Præfatus etiam teſtor quod res eſt, ali hodie Lectorum ignaviam tot verſionibus, ut pauciores ſerio græcentur, ut

&

& Jo. Meurſius queritur in quatuor auctoribus memorabilium. Legent græcè docti, tu imprimis aliqua voluptate, quâ ſcriptæ miſſæque ſunt linguâ.

Num quid amplius? etiam liceat mea manu ſine arbitris colloqui & rogare, ut ἐν ταύτῃ τῇ φυγῇ philoſophis legendis te oblectes conſolando: Dei eſſe opus quod evenit, dilapſique ſumus. perieramus, ait ille tuus, niſi periiſſemus; vide Euripum Reip. & ſcindi contraria in ſtudia imperitum vulgus, &c.

Memoria repete non jam Scipiones Africanos, Themiſtoclas, Ariſtidas, oſtraciſmo etiam proſcriptos, à Valerio Max. recenſitos Lib. v. cap. 3. & 6. ſed potius noſtræ memoriæ Briſſonium, & Durantium. Lutetiæ illum, hunc Toloſæ à plebe tumultuante mori juſſum, ante dixi. Mitto reliqua tragica exempla, ut Papiniani veſtri & collegæ tui nuper. Tantum te rogo ut ſenem vix audias patienter, amice obteſtantem, ne in illo receſſu bonas horas perdas Apologiis, quaſi apologis ſcribendis, aut chronicis patriæ, ſed μαλακίας exſpecta, dum pelago deſevit hiems. Tecum habita ait ſatyricus, quod alter è cœlo delapſum ait: γνῶθι σεαυτόν. repete ipſe mecum identidem, quod tumulo inſcribi Lipſius noſter ſpirans voluit:

Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas:
Et ſcenæ imago; verbo ut abſolvam, NIHIL.

Quamobrem ut indies animum nonnihil à curis publicis ingratæ patriæ abducas, ſi me audire lubet; ſume interdum in manus pro Lucano aliove poëta, ſi me audire lubet inquam, B. Auguſtini Confeſſionum libellum, à multis piis erudítiſque, qui non niſi commoti iis legendis ſurrexerunt, valde prædicatum: Nolo hic ipſius auctoris Auguſtini verba deſcribere, ut partum adamantis, ſed aliorum, quibus præ ceteris, ejuſdem etiam auctoris, placuiſſe hunc libellum teſtatur ut Lib. II. Retractat. cap.6. & de bono perſeverantiæ cap.xx. & epiſt. CCLXIV. ad Barium Comitem, & Severus Epiſc. epiſt. XXXVII. inter Auguſtini: Poſſidius Calameſ. Epiſc. in ejus vita. *Libros, inquit, Confeſſionum ideo ſcripſit, ne de ſe quiſquam hominum ſupra quam ſe eſſe noverat, aut jam de ſe auditum fuiſſet crederet, vel putaret.* Ejus elogium Præſulis eſt in Proſpero Aquitanico Lib. III. de vita contemplativa cap. XXXI. & in Carm. de ingratis. Sed quoniam veſtræ deliciæ, & dulces ante omnia Muſæ; en Franc. Petrarchæ de hoc libello diſtichon:

Quiſ-

Quiſquis eget lachrymis, quibus impia crimina tergat,
Hunc celer ad fontem deſerta per arida pergat.

Sed placet magis civis tui Delphenſis Adami Sasbout Jureconſulti Præſidis filii, ex familia S. Franciſci, hominis pientiſſimi juxta ac cruditi verba apponere ex Homil. de timore Dei: Cuperem, ait, omnibus, (allata ejus ſententia è Lib. IV. Confeſſ. cap. 5. & Lib. V. cap. 4.) libellos illos eſſe familiares, hoc eſt frequenter verſari in manibus, legi ac relegi. Siquidem ab his fluxis, vanis & caducis rebus à ſui amore, ſive ut uno verbo Græci dicunt, Φιλαυτίᾳ animum hominis potenter abducunt: quos nimis ſero mihi notos doleo. hæc ille religioſiſſimus vir Adamus, quæ ut à cive pronunciata, à meque tui amante oſtenſa in bonam velim partem accipias. Sic tibi quæ optas, eveniant fauſtaque ſint ac ſecunda in brevi vitæ ſtadio. Vale, & acceptis hiſce litteris, atque Iſidori fac me, ut gaudeam, certiorem. Antverpiæ a. d. IIII. Kal. Sextil. CIↃ IↃ CXXIII.

Servus in Chriſto

AND. SCHOTTUS.

EPISTOLA XII.

AND. SCHOTTUS, HUGONI GROTIO I. C.

χαίρειν.

Lutet. Pariſ.

EVigilavi atque inſomnem duxi noctem, doctiſſ. Groti, cum pridie ejus diei elegantis juvenis ingenii Gaſp. Gevartius, qui me ad te profugum è cuſtodia ſolandum aut gratulandum potius duxerat, admonuit tuis ut reſponderem litteris. Ego vero ac libenter: quod ad ſcribendum ὁρμὴν τῆς φιλίας, tametſi maxime feſtis hiſce occupatum diebus raperet, cum officii gratia (ſuperbus enim niſi reſpondeam litteris provocatus merito videar:) tum quod utriuſque intereſſe noſtrûm putem. Quod enim conſolandi tui cauſſa hoſtico illo carcere legiſſe te numeriſque Latinis vinxiſſe, nimirum è philoſophia cum Boëthio conſolationem petendo, coram narraveras Philoſophorum dicta ac Poëtarum, quorum capi ſcriptis ſoleres, ex Joan. Stobæi col-

collectaneis : cumque ejuſdem tecum & ordinis ut Jureconſultum, G. Ratallerum talia convertiſſe retuliſſem, id è meis ſumptum arculis & notatum, uti meus eſt mos, poëmation, ſi forte nondum vidiſſes, à Plantinianis hic excuſum, huic faſciculo incluſi, ut ſi tantum iſtic eſt à ſalutationibus otii, legas exemploque imiteris, ſi tua fortaſſe libet edolare, poſteritatique tranſſcribere. Memoria interim repetens, ut quemadmodum è C. Plinio Viglius Zuichemus Friſius & ipſe, noſtra memoria inſignis Belgii Præſes ac J. C. Teſtamentaria commentatione non incelebris, habita nominis ſui Viglii ratione VITAM eſſe mortalium VIGILIAM ſymbolo ſuo indicavit: ſic & tu ſenariis, quos mihi memoriter & jucunde Gevartius recitavit, CUSTODIAM ſeu *carcerem* appellare caſum illum ſoles apud ærumnæ ſociam:

Quos matris alvus CARCER edit in lucem,
Queis corpus animam more CARCERIS vincit:
Quos morte functos terra CARCER exſpectat,
Numquam nimis timere CARCEREM debent.

Homo enim, ut vere ait, nondum vitalem in lucem editus matris alvo ut in cuſtodia eſt; poſt corpori incluſa anima (σῶμα γὰρ σῆμα Platoni eſt) geſtatur. Morte obita ſepulcro corpus includitur, à communique omnium parente tellure geſtatur. Hinc & ſenex ille Simeon cygneo cantu CHRISTUM JESUM in ulnis tenens, diſſolvi vinculiſque voti compos ac lætabundus exſolvi optat, itemque electionis vas Paulus diſſolvi obnixè rogat, ac mortali liberari cuſtodia. Imo & B. Job vitam militiam, vel ut LXX. legunt, πειρατήριον, tentationem probationemque auri in fornace nominat. exilium alii revera, ut περὶ φυγῆς comment. Plutarchus. Sed hæc tu apud te ipſum, mortalis memor ſortis, locique quem aſylo, noſtro hoc relicto cælo, delegiſti. De me ſi loqui apud te permittis, equidem ex quo ante hos ipſos xxx. annos, & quot excurrunt, Societatis Religioni ſponte me addixi, in animum ſemper induxi meum, ut tu in vinculis, in cuſtodia me habitare DEI O. M. ſed ſpontanea, & compedes, quas mihi ipſe induiſſem, geſtare. Cuſtodiri itaque ſenſi me reapſe ab inſidiis cacodæmonis, qui tamquam leo rugiens nos ambiat, ſive agendo quid (otium enim vitiis illecebra eſt) ſive legendo, viciſſimque orando bonas collocans horas ad ſeptuageſimum

va-

valens annum perveni, benignitate ejus Numinis, in quo vivimus, movemur & ſumus. Imo ſine cuſtode ſocio atque arbitro pedem domo efferre cavi, niſi prævaricari, quod avertat Deus, vellem. Omnique adeo mortali à DEO cuſtodem angelum jam à primo natalis die felicitate quadam, ut B. ait Hieronymus, apponi credimus. O ſanè felicem cuſtodiam! ô jucundum carcerem! Quis me liberabit, niſi ſummus ille imperator, qui hac nos in cuſtodia collocavit; vetatque ſine ejus juſſu ſtatione decedere. Ecquando bone Deus vincula diſrumpes mea? ah ſeni mihi feſſoque incolatus prolongatus eſt!

TIBI nunc, Groti, proferam ſi pateris, quæ mihi nocturna illa meditatione in mentem venerunt. Conditionis tuæ reſpectu interim habito, ut qui è cuſtodia jam uxoris aſtu operaque dilapſus in arca & libraria; ut olim Moyſes dux populi Iſraëlitici deſtinatus ἐν κιβωτῷ κίςῃ καὶ φασκώλῳ ſervatus emerſit, altuſque à Regis filia, ad majora nimirum Dei voluntate patranda. Tu quoque in lignea arca à cuſtodibus elatus poteris fortaſſe (quid enim vetat poëtica apud Poëtam adhibere?) inflammare non Trojam ſed Bataviam patriam, non igni vaſtante omnia ac depopulante, ſed ætheria ac cæleſti, tu modo ſi vis, ipſe ardens patriæ amore, &

cives

cives tuos re conſilioque juvans ſalubri (ſcis quo tendam) ut poſitis tandem armis, fugentur errores tot tantique etiam Judæorum ac Turcorum Mahometiſtarum: profligentur blaſphemæ illæ in CHRISTUM, ejuſque ſponſam Eccleſiam Ro. voces. Et feceris id exemplo duorum probe tibi notorum Joh. Spondani Galli I. C. ac tui credo familiaris Pe. Bertii, quem Lutetiæ exceptum vides humaniter à Rege Chriſtianis: Utriuſque rationes converſionis ad bonas partes, partium ſtudio valere juſſo, Latinè iſtic ac Gallicè editas potes, odio omni adverſariorum omiſſo, attentius legere, atque expendere. Ille, ut melius noſti, in Heſiodum, & vaſtas in vaſtum Homerum dedit obſervationes, & in Pſalmos aliquot ad Regem Henricum IV. Frater quoque ejus, Henr. Spondanus, abjurata Romæ hæreſi, quam vel in Gebennicis, vel Baſileæ hauſerat, Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Card. Baronii ἐπιτομικὸν τῆ οἴκȣ μένȣ ἐπιτομῆ ῥώμη concinnavit *feliciter*.

Nunc quæ mala impendentia fuga tua ſalutari declinaris mecum conſidera, ut ne antiqua commemorem è Valerii Maximi libro V. eorum qui Reip. ac Patriæ togati aut ſagati ſervierunt: utque in Græcia omittam Themiſtoclem; in Latio vero prætercam Scipio-

pionem illum Africanum ſuperiorem : qui à ſuis proſcriptus, de quibus omni bono meritus Urbem conſervarat, patria extorris hoc ſibi rite poni voluit elogium : INGRATA *patria oſſa non leges mea.* Themiſtocles vero apud Xerxem verſans exſul liberis ait: perieramus, niſi periiſſemus. Verum noſtræ memoriæ, quorum caſus oculis adhuc obverſatur noſtris, clariſſimos duos referam I. C. qui a ſuis immaniter contrucidati perierunt tamen, etſi doctiſſimi ſcriptiſque editis illuſtres exiſterent, Barnabam inquam Briſſonium Lutetiæ, ubi degit; & Steph. Duſantium Toloſæ Tectoſagum : utrumque in dignitatum culmine (præſides enim erant) immaniter contrucidatum audivimus, ſpectarunt, prô dolor ac pudor, cives. En quo diſcordia cives perduxit miſeros! hæc tu, inquam, Groti, pericula ſemel effugiſti, & tecto prope latere diſceſſiſti, ne quid capiti arceſſeres, quod ajunt, tuo infauſtum, & luctuoſum tuis: audito jam capite truncato collega tuo Oldenbarneveltio, etſi nobili ac Jureconſulto, de patria ſua, ut ſibi quidem videbatur, opt. merito, excluſo armis Rege Catholico. Sed ô incertas humanarum rerum vices! ô ſpes inanes! ô inſperata infortunia! I nunc & ingratæ ſervias poſt tot vigilias plebi!

I nunc, & ventis animam committe, delato,

to, confiſus ligno! dicebat vere Lacon ille apud M. Tullium in Tuſculanis.

> *Non optanda quidem Fortuna rudentibus apta.*

Habes, mi GROTI, ab amico profectam conſolatoriam epiſtolam: neque hic efferri campumque decurrere, ut poſſem fortaſſe, libuit. Tu ſi viciſſim ſcribes, equidem non recuſo reponere: & ſi quod in rem tuam ſit, vel conſilium exiges, fidum ſenties: Deum interim venerans precabor, ſi loquar more majorum ſine fuco, bene tibi, bene mihi ut ſit in hac vitæ ſive *cuſtodia*, ſive exſilio. Vale. Noſtros quoque ſocios iſtic utraque etiam lingua peritiſſ. atque Theologos Frontonem Ducæum, Jac. Sirmondum, Dionyſ. Petavium ſi interviſes meiſque ſalutare verbis non gravaberis, facies quod te dignum exiſtimem. Antwerpiæ, poſtrid. Feſti S. Euchariſtiæ, cIↃ IↃCXXI. αὐτοχειὶ γεροντικῶς.

EPI-

EPISTOLA XIII.

ADRIANUS MASIUS

TAXIIS SUIS. S. P.

PArens veſter, cariſſimi Taxii, pro ea ſollicitudine quam de veſtrâ ſalute aſſidue gerit ſemel iterumque me rogavit, ut veſtram alacritatem in ſtudiis Epiſtolio aliquo incitarem. Ego itaque qui illius multis beneficiis obſtrictus nihil ipſi vel negare vel potius non ultro offerre debeo, ut votis ipſius obſequar, paucula hæc ad vos nunc ſcribo, non tam ut inſtigem, quos ſponte ſua currentes nihil dubito, quam ut quarundam rerum moneam, quæ in Italiam profectis noſtratibus ſolent varia pericula creare. Fecit quidem conſultiſſime veſter parens, quod poſt viſas Gallias in Italiam vos miſerit. Nam ut veſtram viſus ſum aliquando coram videre indolem ad optima quæque amplectenda appoſitiſſimam, & ut novi Italiam non ſolum omnium optimarum diſciplinarum, & præſertim Juriſprudentiæ primam magiſtram, verum etiam omnis civilitatis & elegantiæ officinam, fieri non poterit, ut non tum Juriſprudentiſſimi; tum iis moribus qui in vita communi elegantiſſimi haben-

tur

tur ornatiſſimi inde revertamini, unum hoc ſi memineritis memoreſque obſervaveritis. Nempe παρὰ τοῖς πατριώταις οὐδὲν εἰ μὴ τὰ πάτρια μανθάνεται. Quare ſunt quidem conterranei veſtri vobis iſtic blande habendi, ceterum cum Italis hominibus, ſi me audietis, familiariter verſabimini, dum datur. Nam fortaſſe non dabitur diu, & amiſſa occaſio ſolet vehementer deinde animos prudentium cruciare. Equidem non ignoro quam ſoleant noſtri homines Germani & Belgæ in Italiam ſtudiorum cauſa profecti, ab Italicorum conſuetudine, quaſi non ſincerorum hominum, averſi eſſe, atque ipſi inter ſe fere gregatim convivere, unde plerunque evenire ſolet, ut ex Italia nihil niſi temporis valetudiniſque jacturam referant. At eſt profecto familiaritatis quædam mediocritas, quam citra periculum cum viris etiam non optimis exercere quis poſſit. Eſt etiam in conciliandis amicis delectus habendus, ut non niſi optimos, eoſque quatenus prodeſſe non nocere poſſint, ſi noſtrum nos judicium fefellerit, in noſtram familiaritatem admittamus. Ego certe an ullos unquam amicos, quam in Italia, ſinceriores, amantiores, ſtabiliores, commodiores habuerim, neſcio; hoc ſcio qui Italis recte utatur eum poſſe illorum elegantiſſima doctrina, moribus aptiſſimis, gravitate virili, perſpicace prudentia & omnino vitæ quadam

ſua-

ſuavitate comitateque cordata, plurimum poliri atque emendari. Sicut contra ſi quis improborum Italorum vitia ſectari in animum induxerit, eum vix ipſa queat ſervare ſalus: ut enim nuſquam deeſt Scholaſticis hominibus peccandi materies, ita in Italia abundat maxime, quapropter non ſolum aures veſtras cerâ Ulyſſis obturare debetis, ſed ſenſus omnes ἐν τῇ τῆς ἐγκρατείας ἰσοπεδῇ religare, ſi in hac veſtrâ ætate ſalvi ad parentem enavigare per ſtudiorum hoc pelagus, in quo verſamini, vultis. Sed utimini (ut audio) domeſtico præceptore ut literatiſſimo ita probiſſimo. Quare hæc ita à me ſcripta eſſe velim interpretemini, ut ab eo qui parentis veſtri amantiſſimus eſt & illius de vobis curæ penitus conſcius. Valete, optimi Taxii, & graviter literis operam date ut mature, dum parentem habetis ſuperſtitem, veſtra ſtudia abſolvatis, cujus apud ſummos quoſque Principes ſingularis gratia maximum habitura eſt ad vos amplificandos, ſplendidiſſimiſque conditionibus facile ornandos momentum. Iterum atque iterum valete. Ex Clivis III. Calendas Januarii M.D.LXIV.

EPISTOLA XIV.

V. C.

BERNARDO PALUDANO

Medico S. P.

Enchuſam.

RECordatio humanitatis tuæ, Vir Clariſſime, qua me nuper ita complexus es, ut nullum officii genus prætermiſeris, ſæpe hactenus fecit, ut diſpicerem aliquid quo viciſſim tibi gratificari me poſſe ſperarem. Cum autem nondum aliqua ſe opportunitas obtulerit, te quantum animi mei votum quidem eſſet, demerendi, volui in præſentia, nactus tabellarium idoneum, qualemçumque hanc voluntatis meæ ſaltem declarationem non omittere, teque obnixè rogare, ut ultrò, ſi quâ re commodare tibi poſſim, libertate non petendi, ſed imperandi potius utaris. Atque ut iſtius mei propenſiſſimi ſtudii arrham veluti habere queas, mitto nunc quod exiſtimem ad locupletationem Theſauri tui rerum novarum & antiquarum pertinere. Eſt autem tegumentum quo Principes vel Dynaſtæ Muſ-

coviæ

coviæ Gentiumve ſimilium nocte caput velare cubituri dicuntur; id à ſordibus ancillæ purgandum traditum, videtur colorem antea flavum omnino mutaſſe. Addidi fragmentum lapideum, vel marmoreum mea opinione: quod multos annos Antverpiæ in Templo B. Virginis inter ſanctiſſima quæque ſumma cum veneratione ſervatum & oſtenſum eſt. Poſt demolitionem autem templorum delatum eſt ad Conſulem ejus Civitatis, qui mihi donavit tanquam cimelion, quod & ad Sereniſſ. Reginam noſtram mitti poſſet. Cui quod tum deeſſet occaſio, & ipſe impenſe ejuſmodi rebus delectarer, ad hunc diem inter mea delituit. Conſtans fama erat fragmentum eſſe altaris vel columnæ è templo illo antiquo Hieroſolymitano in haſce regiones deportatum. Habeo & alia quædam minutiora ex Arce Britannicâ eruta; ut ſolet, ſi quando ventis & decremento aquarum fit conſpicua: ſed quia obvia non ſunt quærenti diligenter, differo in aliud tempus, quo fortaſſis, acceſſione aliquâ, cumulatiora ad te venient. Tu interim (clariſſime Doctor) hæc eodem quo mittuntur animo excipias, benevolentiſſimo videlicet & illius, qui omnes articulos, ut dixi, gratificandi ſit captaturus. Vale Haghæ 29. Octobris. 1593.

T. D. Addictiſſimus

GILPIN.

EPISTOLA XV.

Clariſſimo Viro

D. FRANCISCO JUNIO,

Sacræ Theologiæ in Academia Lugduno Batava Profeſſori celeberrimo.

OCtavus jam menſis agitur, ex quo tuis, doctiſſime Juni, literis reſpondi: ſed meas quia ad te minimè perlatas auguror, eaſdem iterum mittere, (nam exemplum penes me aſſervaram, ne quis eas mihi caſus alienus penitus adimeret) placuit. ſic autem ſe ferè habent. *Serius* omnino, quam aut tu exſpectabas, clariſſime Juni, aut ego volebam perlatæ ſunt ad me literæ tuæ: XXX. nimirum Octob. miſſæ, redditæ autem vix ante diem VI. Febr. Quamprimum igitur de Tertulliano certi aliquid reſcribere potui, quod maturius tibi mitti poſſet, nihil cunctor. Nam de Tertulliano quod petis, ſiquidem ea, quæ fruſtra ad te à nonnullis opinionis errore ferebantur, vera forent, tuæ certè ſatisfacerem petitioni libentiſſimè: utpote qui amore ac pietate erga te, nec eſſe cuiquam mortalium ſecundus, nec videri velim. Tertulliani nihil

Digitized by Google

quicquam eſt aut penes me, aut in hac etiam noſtra Academia manu exaratum; aut aliàs uſquam à me viſum. Ac fieri poteſt ut quis apud me Chryſoſtomi Græcas in Geneſin homilias manuſcriptas viderit; qui poſtea & argumenti etiam auctoris planè oblitus, veteriſque tantùm Tractatoris manuſcripti recordatus, hunc Tertulliano inanem rumorem affinxerit. ſed neque ulla prorſus Symbola, aut tanto auctore, aut tua honoranda fraternitate, aut meo ipſius ſtudio ſatis digna, à me conferri poteſt. Illud ſolùm moneo, Pamelianæ editionis appendicem quandam Romæ excuſam Anno 1584. auctore Latino Latinio Viterbienſi, cujus hæc inſcriptio, *Loci ex conjectura* Latini Latinii Viterb. vel reſtituti vel aliter lecti in Tertulliano poſt editionem Jac. Pamelii Brug. anno 1583. cujus quidem auctarii nulla omnino vel fando apud nos hîc in Anglia fuiſſet fama, niſi id Tho. Savilus Roma ſecum aſportatum D. Joanni Rainoldo dediſſet. Neſcio an in Gallia Belgica proſtet aut exſtet hic addititius Libellus, tribus tantum chartis conſtans: certè nonnullos alios libros memini, illic minimè parabiles, iſtuc Londino miſſos; quod an hîc etiam uſu venerit, tu facilè providebis. Sed enim ex recente Pamelii editione, Latinii opuſculum tibi viſum lectumque animadverto. Verum enimverò D. Rai-

noldi, viri tum ſolida doctrinæ varietate, tum vitæ ſanctimonia, amore omnium bonorum, tuo inprimis, digniſſimi (qui ſedulò me etiam rogavit, ut ſuo te nomine ſalutarem peroffícioſè) ſymbolam quandam accipies; quam ipſius ſingularis in ſacris literis permovendis alacritas ac propenſio, mihi, tuâ cauſâ, impertita eſt. eſt autem ejuſmodi. Ad illud Tertull. ad Martyras, cap. 4. Si tanti vitrum, quanti margaritum? ubi Pamelius legit, Tanti vitrum? quanti margaritum? Ego, (inquit Rainoldus noſter) Latini Latinii conjecturam, *vitrum*, pro, vitreum, ſubſtituentis probo: adductus Hieronymi auctoritate, qui ep. 8. ad Demetriadem in hunc modum loquitur: Tanti, ut dicitur vitrum; quanti margaritum? & ep. 7. ad Lætam, Si tanti vitrum; quare non majoris ſit pretii margaritum? Cujus hoc proverbio ſæpè ſic utentis verba mihi quoque ſuſpicionem movent, ab aliquo, qui vitreum, in Tertulliano legit, adjectam eſſe vocem, *verum*; quo nimirum vitreo quaſi margarito verum opponeretur ad abſolvendam ſententiam; forſitan alioqui claudicare viſam. hactenus Rainoldus. Habes de Tertulliano. Sed enim de Hebraïco Lexico quid? jamdudum enim illud, *propediem*, effluxit. Nec verò tam Lexici formulam, quam juſtum Lexicon omnibus Hebraïcæ elegantiæ theſauris ornatiſſi-

tiſſimum à literatiſſima Junii mei diligentia noſtri Oxonienſes expectant avidiſſimè. Sæpiùs ſanè à me quotannis quæri ſolet, ecquando nobiliſſimus iſte partus tuus lucem viſurus ſit? quibus præter exſpectationem, quod reſpondeam, habeo nihil. Tu tandem amiciſſimum hominem tam diuturna ac gravi moleſtia liberabis aliquando. quod ut ocyus facere velis, etiam atque etiam rogo. *Interea* vero, ſententiam tuam de inſcriptione illa Pſalmi noni, tam variè à veteribus ac recentioribus Interpretibus redditam, fuſiùs atque uberiùs expoſitam confirmatamque audire aveo. cujus verba etiam in ſacroſancta origine diverſo modo ſcripta legimus, nam in quibuſdam codicibus על מות, συνημμένως; ut in Veneta editione Anni 1517, per Felicem Prutenſem; & Pariſienſi majore Rob. Stephani: quo modo in omnibus etiam, quæ quidem ipſe viderit, exemplaribus haberi m. s. teſtatur. Liranus, cetcrùm in pleriſque vulgatis על מות, διῃρημένως. Lxx. priorem ſecuti, ὑπὲρ τῶν κρυφίων reddidere. Aquila item; ſic enim ille: τῷ νικοποιῷ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ μενῴδημα τοῦ Δαυίδ. Theod. autem v. editio τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ ἀκμῆς. vi. editio, εἰς τὸ μένος νεανιότης. Vos ipſi, *ſymphoniæ acutæ ad medianam:* poſteriorem autem Symmachus, ita vertens, ἐπινίκιος ὑπὲρ θανάτου τοῦ υἱοῦ ἄσμα τ. Δ. Hieronymus ſimiliter, *Victori ſuper morte filii.*

 Ra-

Rationes, inquam, quibus veſtra nitatur interpretatio, paulo fuſiùs explicatas videre diſcupio: præſertim cum ea de re mihi tractandum ſit in *Diſputationum pro Hebraicæ Græcæque veritatis illibata ſinceritate, contra Bellarminum, Mietropagitam, alioſque, libro primo.* quem utique locum ſine honorifica, ut par eſt, veſtri mentione præterire nolim; quandoquidem ſimiliter humanitas tua ſingularis, de me, non uno loco fecit. Scribis autem, Frater honorande, præfat. ad Apocryph. te, tertium Eſdræ Græcum non vidiſſe, nec aliis viſum meminiſſe: cum tamen aliter ſe res habeat. vidiſti ipſe, viderunt alii; paſſimque Græcè exſtat; verùm apud Græços primus, qui Latinis tertius, dicitur. In parallelis, niſi fallor, locus ille Eſ. 28. 11. ἐν ἑτερογλώσσοις, citatus ab Apoſt. 1 Cor. 14. 21. prætermiſſus eſt & ibidem ſæpiuſculè αἰνίττειν & ὑπαινίττειν, pro, αἰνίττεσθαι, & ὑπαινίττεσθαι, dicitur. quinetiam 1 Sam. 17. verſ. 34. in annot. *ita reddidimus Chald. paraph. alioquin pro hac voce in vulgatis exempl.* legitur, *& auſ. hoc è gr.* cum tamen pleraque vulgata exemplaria genuinam ſcripturam incorruptè retineant, nempe שֶׂה. nempe Complutenſe vetus, Veneta antiqua, Pariſienſis Rob. Stephani, Baſilienſis Munſteri, Antverpienſia Quinquelinguia in volumine parallelo; item apud

apud auctorem Concordantiarum. Heb. Lxx. Hieron. alios. in recentioribus quidem Venetis, & Ant. Quin. illorum imitatione, נז: ſed operarum errore manifeſtario. Jerem. 31. 32. quod legitur: בעלתי בם: annon propheticæ orationis filo quadrat magis, ſi ita accipiamus, *& ego federe junctus manſiſſem eis?* quandoquidem de federe agitur, & ad id unum reſpicitur; ſoletque verbum hoc, ut & cognatum nomen, de confederatione, ſeu jure federis uſurpari, quemadmodum Gen. 14. 13. בעלי בו״ת אב׳: & ſimilia indicant. Ezech. 27. 11. vox גמדים, pygmæos, non illos fabuloſos, ſed cubitales videtur, ad ſignificandam nimirum ingentem turrium ac propugnaculorum, quibus confidebant illi, ſublimitatem, convenienter prophetici characteris majeſtati, notare, prout videmus, homines proceræ ſtaturæ in hujuſmodi locis conſtitutos, vix cubitales apparere ſpectantibus ex humiliore loco. Pſalm. 19. 5. קום rectè veteres videntur expreſſiſſe; Lxx. φθόγγος αὐτῶν. Symmachus, ἦχος. eoſque ſecutus Hieron. in Hebr. verit. *ſonus eorum.* ut qui latè patentem vocis ſignificationem ad argumenti ſeriem aptiſſimè reſtrinxerint atque accommodarint. etenim norant קו lineam generaliter notare; ſed hîc, non quamvis lineam, ſed lineam verborum, gloriam Creatoris clarè

 per-

perſonantem; unde ita rectè apteque tranſtulere. quò referri etiam poteſt Aquilæ interpretatio, κανῶν, ſi Grammaticorum ſenſu ac more accipiatur. vox eadem, lineam verborum ſignificat alibi quoque; nempe Eſai. 28. 10. id quod in mentem veniſſe celebri Hebræorum Doctori Abben Ezræ quoque ad hunc locum, non mihi ſolum, animadverto. Veterem itidem & uſitatam hactenus ab Apoſtolicis uſque temporibus, propriorum nominum prolationem, Eſaias, Jeremias &c. præſertim cum Græcæ Latinæque Linguæ id uſus & ratio flagitet, notata interim, ſi videtur, ad marginem Hebraïca pronunciatione, ut in *Cyrus* pro *Coreſch* rectè factitatum: honorandus frater in nova editione retinere poteſt. Apocryphorum ſimiliter errata, quibus apodicticè autorum illorum humanitas contra Theriolatrarum pervicaciam oſtenditur ac probatur, relinquet potius, prout in Græcis habentur, quam ad divinæ normæ abſolutiſſimam accurationem revocabit. 4 Eſd. 6. 49. 52. &c. duo videntur mutata contra ſententiam auctoris: *Bahamoth*, pro *Henoch*, ut vulgo legitur, vel potius, ut Judæorum fabellæ habent, *Juchne*, ut videre eſt apud Eliam in Thisb. vocabulo יוכנה: deinde *ſervaſti ipſum ut devoret quos & quando voles*, pro, *ut fiat in devorationem quibus vis & quan-*

quando vis ; id eſt devoretur ab his, non contrà; prout Judæorum ſomnia manifeſtò declarant, vel teſte Elia ibidem. Cenſuram Londinenſi editioni affixam ſpectata fratris cariſſimi prudentia gravitaſque tanti quanti ego providebam animo, fecit. meritò. quis enim tam inſulſam atque indoctam tantilli faciat? ac non potius miſerrimam inſcientiam hominis omni dignetur miſeratione? Cantabrigienſis quidam Theologus, & idem Civiliſta, emendicata auctoritatis ſpecie, ineptam ac dentatam illam ſcriptiunculam Typographo attulit; ut mihi Corrector, homo Oxonienſis, ſignificavit, à quo homine ſimilibuſque, te, tuique ſimiles vituperari malunt omnes boni, docti, cordati, quam laudari. quis enim Cynici ſcriptorculi Mimalloneos bombos non contemnit? certe vidi illam miſeram cenſuram, alba, & innocente charta obductam hìc apud noſtros Bibliopolas. tuus hìc, apud Oxonienſes meos, viros doctiſſimos, optimos, graviſſimos, æquiſſimos; maxima & flagrantiſſima cum caritate, honos viget floretque. quin & ipſe excellentiſſimus D. Joannes Rainoldus, frequentiſſima in concione, coacta in ſumma Academiæ baſilica, illuſtre teſtimonium Interpretationi veſtræ dedit. Sed jamdudum epiſtolæ modum, fateor, exceſſi: nec enim tui amor ſin-

ſinceriſſimus atque inflammatiſſimus temperare ſibi potuit; tam diuturno præſertim ſilentio irritatus. Dominus tibi tuiſque, in omnibus benedicat ſemper cumulatiſſimè. E Novo Collegio Oxonio. Novembris ultimo, A. D. 1595.

Honorandæ fraternitatis tuæ in Domino conjunctiſſimus:

JOANNES LUIDUS.

EPISTOLA XVI.

Reverendo & Clariſſimo Viro

D. CONRADO VORSTIO,

S. Theologiæ Doctori in Illuſtri Gymnaſio Geneveuſi, amico & fratri ſuo plurimum honorando.

S. Quod felix fauſtumque ſit, Reverende & Clariſſime Doctor, Frater in Chriſto honorande, venit ad te noſter Perizonius cum literis vocationis, & plenis mandatis tecum tranſigendi, atque etiam ſi fieri poſſit unà te ſecum adducendi. Literas enim tuas, quibus ad

ad me non obſcure oſtendebas, vocationem ad ſcholam & eccleſiam Steinfurdianam tibi minime diſplicere, imo te pro divina eam agnoſcere, & Deo dante pro virili ſubire paratum eſſe, ad Generoſum D. Arnoldum Comitem Benthemenſem illico tranſmiſi, cui voluntas tua perplacuit: ac ſine mora quæ ad expediendum totum negocium pertinere ſunt viſa porro curavit, miſſo huc tabellario cum his literis, quas voluit per noſtrum ad te mitti, mirum in modum à nobis contendens, ne inſtituto ſuo tam pio deeſſe velimus. Vide igitur quid ab te velit. Vocat te ad profeſſionem Theologicam in Schola illuſtri recens aperta, & ad concionem unam hebdomadatim in primario oppidi templo habendam. Stipendium pollicetur 200. florenorum Francfurtenſium annuorum, quin & aliquid amplius, ſi parum hi ſint. Meo nempe arbitrio relinquit, ut 200 Joachimicos imperiales tibi offeram, quos & Generoſitatis ejus nomine tibi offero. Mittit inſuper arrham, quam Perizonius pro ſtipulatione tibi exhibiturus eſt. Supellectilem tuam ſine onere & gravamine tuo curabit. Quid amplius? reſtat ut vocationem tam honeſtam ex manibus non mittas. Da igitur manus, arrham capeſſe, ſequere vocantem Deum, annue tam præclaræ voluntati Generoſi Comitis: ſuccurre piis ejus

ejus conatibus. Ita poſtulat Sanctorum κοινωνία: ita præclarum talentum tuum tibi creditum: ita honos, ita conſcientia tua. Functio honorifica eſt & præclara, apta non modo humeris tuis, ſed & congrua dignitati tuæ. Satis diu inſerviiſti tuis Malapertiis. Nunc auſpice Deo ſerviendum eſt non duobus, ſed multis. Fructus laborum honeſtos feres: nam qui loci conditiones norunt, ajunt duplum videri quod iſthic offertur, ſi apud nos vivas. Senties clementiam & liberalitatem optimi Comitis nulla ex parte in te claudicare. Si nuptias quæres honeſtiſſimas facile tibi parabit. Quæ hic forte offeruntur, cogita an cum ſatis magno honore & commodo tuo te remorari debeant. Profeſſio Ethica hujus Academiæ nec vacat, nec conveniens eſt tuæ perſonæ. Audi vero etiam quid Deus per amicos ſuadeat. certe omnes uno ore & magna cum gratulatione tibi vocationem hanc deſtinant. M. Timplerus ejus Scholæ conrector te avide exſpectat. Comes communitatem ut vocant inſtituit, in qua ſtudioſi 20 flor. commode vivere poſſint; cui commoditati ſi celebritas nominis tui acceſſerit, plurimi diſcentes haud dubie confluent. Quod ſupereſt Deum invoco ardenter, ut ipſe ad vocationem hanc te trahat: te vero hortor & oro in magno id munere Dei Opt. Max. ponas, quod hoc tempore

pore & loco ad Epiſcopatum te vocare dignatus eſt, quo tibi χειροτονία ſeu potiùs ἐπίθεσις τῶ χειρῶν venerandi Patris D. Bezæ brevi hinc abitum, ut vereor, parantis contingere poſſit. Cetera ex noſtro Perizonio cognoſces, ejuſque verbis ut fidem habeas oro. Feliciter vale. Heidelbergæ 17 Cal. Febr. Anno 1596.

T.

DAVID PAREUS.

EPISTOLA XVII.

Clariſſimo Viro ac Medico Eximio

D. BERNHARDO PALUDANO

amico ſuo obſervando.

Enchuſam.

ALiquot tuis litteris reſponſionem debeo, quibus jam una opera reſpondere cupio. Priuſquam tamen id fiat, te rogatum magnopere velim, mihi jam ſeneſcenti, & multum remittenti de priſtina ſcribendi alacritate, non ſolum propter alias occupationes, ſed etiam γεροντικὰ παθήματα quædam, quæ indies me debi-

bilitant, ignoſcas ob tam diuturnum ſilentium, meque ob cauſſas commemoratas excuſatum habeas. Ut autem ὕϛερον πρότερον à tuis poſtremis litteris incipiam, Amicum iſtum tuum virum modeſtum & probum, quem mihi diligenter commendaſti, quibuſcunque potui modis promovere, illique prodeſſe ſtudui, idque in poſterum quoque ſum facturus, nec dubito illum animum meum de eo bene merendi penitus perſpexiſſe, remitto itaque hac in parte me ad ipſius ſermones quos ſpero de nobis fore commodos. Tradidi illi aliquid rerum metallicarum, & eboris iſtius foſſilis, quod in exanthematis malignis & ſimilibus fluxionibus dyſentericis ſatis efficax ſæpiſſime ſum expertus. Tibi pro navigatione iſta Hollandica magnas ago gratias: video autorem diligentem ſatis fuiſſe, ſed non adeo rerum peritum. Avis iſtius mirificæ, quæ etiam prunas calentes devoraverit, effigiem ſatis genuine expreſſam, amicus & vicinus meus Phil. ab Urla mihi communicavit. Libellum vero iſtum quidam apud nos Belga Levinus Hulſius in Germanicam Linguam tranſtulit, ac hic imprimi curavit, haud tamen ſcio an in omnibus ſit aſſecutus ſententiam veſtri idiomatis. Audio jam veſtras naves aliquot in Candiam navigationem tentare, quod ſi res illis ſucceſſerit, profecto

Hiſpa-

Hiſpanis non parum ægre facient. Hîc rumor ſparſus veſtram urbem per proditionem propemodum in manus hoſtium perveniſſe, qui certè nihil aliud agunt ac moliuntur, quam ut unum atque alterum portum apud vos occupare queant, in qua re ſi voti compotes fieri poſſint, profectò res Ordinum admodum in lubrico conſiſterent. Sed non dubito prudentia & vigilantia Veſtros hoſtibus facile omnem ejus rei viam eſſe intercluſuros. de pace inter Gallum & Hiſpanum varia & diſcrepantia judicia. Utinam cum bono Reipublicæ Chriſtianæ poſſet iniri, quo potentiſſimo hoſti Turcæ eo melius reſiſtere liceret. Nuper ſane lætus nuntius allatus, nimirum comitem Suarceburgium una cum Palſio Jannarino rurſus per inſidias eſſe petitum non tamen ſine cæde noſtrorum; cum illorum ad 800. ſint deſiderati, vulnerati plurimi. Turcæ, quorum magna pars verſus Albam Juliam ad commeatum conducendum exierat, ac tantum 1600. in Urbe remanſerant, nihilominus uſque ad quartam horam tam fortiter ſe defenderant in ipſa munitione, ut noſtri propemodum re infecta diſcedere coacti fuerint. Magni momenti hic eſt locus, quare ingentes Deo agendæ ſunt gratiæ, & orandus ut in poſterum quoque noſtrum militem fortunare dignetur. Sed de his ſatis. Si aliquid

de tuis rebus ad me ſcripſeris, mihi erit gratum. Poteris autem tuas mittere Ochſio affini D. Phil. ab Urla, qui habitat Amſterdami. cætera juſſi filium addere. Benè ac feliciter vale & me ama. Norimb. 29. Martii. 98.

JOACHIM. CAMER. D.

EPISTOLA XVIII.

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,

CUNRADO VORSTIO,

S. Theologiæ Doctori ac Profeſſori in illuſtri Schola Steinfurtenſi: amico ſuo honorando.

Steinfurt.

S. In proximis literis promiſi, me brevi ad te miſſurum Reſponſionem ad ſcriptum tuum. Et ſane ex illo tempore cæpi aliquid meditari: ſed difficultate primæ quæſtionis deterritus, deſtiti. Interim D. Martinius brevem Reſponſionem à ſe confectam, mihi obtulit: quæ quum nervoſa mihi videretur, judicavi ſatis fore, ſi illam tecum communicarem. Veruntamen quum ille principalia tantum

tum tractaverit: viſum eſt mihi de ſententiis nonnullis, quas ipſe præteriit, te his literis admonere. Ad quas quidem ſcribendas non multum temporis mihi conceditur: & id quod conceditur, non ſatis tempeſtivum eſt. Cogor enim hæc ſcribere à cæna ad lucernam, tabellario cras ſummo mane abituro. Quare peto ut ex æquo & bono hæc velis æſtimare.

1. Scribis, non legi in ſcriptura, Deum nobis reconciliatum. Olfacio, unde hanc obſervationem hauſeris: nimirum ex infauſto illo F.S. ſed contra velim te perpendere, legi in ſcriptura phraſes tales, ex quibus illa, bonâ conſequentiâ deducatur: nempe Chriſtum eſſe ἱλασμὸν, pro peccatis noſtris, 1 Joh. 11. item Deum propoſuiſſe Chriſtum ἱλαστήριον, Rom. 3.

2. Scribis, in ſacris literis nihil uſpiam diſertè tradi vel de paſſivæ vel de activæ obedientiæ Chriſti imputatione. Sed rurſus velim te conſiderare, tradi ſententias tales, quibus iſta æquipollet. Rom. 4. dicitur, Deum homini juſtitiam imputare: eodemque ſenſu ab eodem Apoſtolo dicitur, Deum hominem juſtificare. Juſtificari autem dicimur ſanguine Chriſti, Rom. 5. id eſt, propter ſanguinem Chriſti, ſeu propter obedientiam mortis Chriſti. Nunc quæro, an non æquipolleant iſta? Juſtificamur, ſeu juſtitia nobis

imputatur propter obedientiam mortis Chriſti: & obedientia mortis Chriſti nobis ad juſtitiam imputatur.

3. In dicto Apoſtoli Gal. 3. v. 10. ſtatuis ἀντανάκλασιν in verbo maledictionis. Sed dictum Moſis ex Deuteronomio ibi citatum, & Chriſto accommodatum, loquitur de maledictione coram Deo.

4. Phraſin illam (pro nobis) contendes ſolam finalem cauſam denotare. Ego concedo, quod illam notet ſæpe. At interdum notare vicem, ex illo ipſo loco 2. Cor. 5. 15. quem tu hic pro tua ſententia adduces, planum eſt: ubi ait Apoſtolus; ut qui hoc ſtatuerimus, ſi unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes fuiſſe mortuos: quod autem ſubjicit: ut, qui vivunt, poſthac non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexerit. hic non eſt neceſſe ſtatuere πρόζευγμα, ut tu facis: quum verba illa PRO IPSIS, poſſent conjungi cum ſolo verbo, mortuus eſt.

5. Similis ratio Syntaxeos eſt in loco illo 2. Tim. 1. 10. quem tu adducis ad diluendum rationem meam ex Heb. 2. v. 14. & 15. ubi habetur, Chriſtum per mortem aboleviſſe eum, qui mortis habet imperium, &c. neque enim in dicto illo ad Timoth. neceſſario ſtatuendum ὑπόζευγμα, ut tu facis.

6. Sacrificium Chriſti expiatorium dici in-

interpretaris, quod Deus propter illud peccata noſtra expiet: imo ideo dicitur expiatorium, quod Chriſtus ipſe per illud peccata noſtra expiavit, luendo ſcilicet pœnam illorum, atque ita ſatis faciendo judicio Dei, Deumque placando.

7. Fidem juſtificantem negas eam eſſe, qua nos credimus, ſatisfactionem Chriſti pro nobis ſingulis eſſe præſtitam. Quid ergo ſibi vult vox illa Apoſtoli? Gal. 2. v. 20. Vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro ME. item illa πληροφορία Rom. 8. Quis nos ſeparabit à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu?

8. Vis fidem juſtificantem definiendam eſſe, ſaltem ex pacto, per obedientiam erga præcepta Chriſti. at obedientia hæc effectum fidei juſtificantis eſt: non igitur pars eſſentiæ. Quippe fides juſtificans per dilectionem operatur, Gal. 5. v. 6. Qui enim certò apud ſe ſtatuit & perſuaſus eſt per Gratiam Dei, ſe indignum gratia Dei & vita æterna, dignum autem odio Dei & morte æterna, ex mera Dei gratia remiſſionem peccatorum conſecutum, & certam vitæ æternæ ſpem adeptum per mortem acerbiſſimam atque ignominioſiſſimam filii Dei: fieri non poteſt, quin per hanc fidem imbuatur ſincera dilectione Dei ſerioque ſtudio obediendi omnibus præceptis illius.

Hæc habui, mi Doctor Vorſti, de quibus te amicè & fraternè admonerem. Oro te, ut illa in timore Domini perpendere velis. Sed hæc hactenus. Si nunc vobiſcum eſt Comes Adolphus generoſi tui domini filius: peto ut eum verbis meis officioſè ſalutes, eique ſignifices, ante decem dies redditas mihi eſſe literas ipſius, quas Argentina ſub finem Maji ad me dedit. In quibus quum nullam faciat mentionem Analyſeos Officiorum Ciceronis, quam nomini ejus inſcripſi, & cujus exemplar ad eum per Hobſium miſi: fit ut dubitem an iſte liber ei ſit redditus. Quod ſi fortè propter abſentiam ejus factum non fuit: quæſo ut adhuc cures fieri. Ego viciſſim commodis tuis ſervire ſum paratus. Vale, Sigenæ, 15. Auguſti, 1598.

Tuus in Domino

JOHAN. PISCATOR.

EPISTOLA XIX.

Reverendo & Clariſſimo Viro

D. JOANNI UTENBOGARDO,

Eccleſiæ Dei Hagæ in Hollandia Miniſtro fideliſſimo, Fratri in Chriſto obſervando.

Reverende & Clariſſime Vir, Domine & Frater in Chriſto obſervande.

EDidi ante biennium in lucem Politicam quamdam eccleſiaſticam, qua totam adminiſtrandæ & gubernandæ Eccleſiæ Dei formam & rationem, pro exigua illa donorum Dei in me menſura, quodammodò adumbrare, & oculis ſubjicere conatus fui. Hujus mei libelli occaſione literas proximis diebus ad me dedit D. Joannes Jonſtonus, ſacrarum Literarum in ſchola Andreapolitana Scotiæ Profeſſor, quibus ſignificat, his extremis temporibus mundum adverſus ſinceritatem diſciplinæ & regni Chriſti efficaciam, ſi uſpiam, in illa certe Britanniæ inſula inſurgere. In Anglia quidem diuturnum & difficile de forma & poteſtate eccleſiaſticæ diſciplinæ certamen motum fuiſſe. Jam tandem verò Epiſco-

piſcoporum ordinem imperium & poteſtatem omnem in Clerum ſibi uſurpantem, tantum non triumphare. Apud ipſos verò, Scotos videlicet, diſciplinæ efficaciam, cum doctrinæ ſinceritate potenter viguiſſe, ad terrorem peccati, ſed non ſine multorum invidia. Unde exorta fuerint ſuperiori hyeme inter eccleſiaſticum & politicum ordinem diſſidia, de finibus regundis. addit præterea, quod & magiſtratus & miniſterii munera olim in Melchiſedecho, Moſe, Eli & Samuele, partim typicè, partim extraordinariè conjuncta fuerunt, inde multos perpetui ordinis regulam, lubrico errore, in eccleſia conſtituere velle: cum tamen perſonæ adminiſtrantes, quæque earum ſit conditio, conſiderandæ ſint, hoc eſt, ſintne perſonæ ordinariæ, vel extraordinariæ. deinde tempora etiam qualia ſint, videndum eſſe. diverſam etiam videri rationem, in eccleſiæ corruptelis reformandis, cum corrupta prorſus eſt eccleſia: alia item in eccleſia jam conſtituta & reformata. Illic enim Deum perſonas & media extraordinaria ſæpè adhibere. Quæ cum ita apud ipſos ſeſe habeant, de quinque illis quæſtionibus, quas hic inſertas accipis, meum (quod tamen in hujuſmodi arduis rebus nullum eſt) requirit judicium: idque non ſuo tantum, ſed aliorum etiam bonorum virorum nomine. Quod

idem

Digitized by Google

idem etiam à Domino Piſcatore flagitavit, & ſi quid conjectura aſſequi poſſum, ab aliis quoque.

Quemadmodum autem Fratribus & Eccleſiis laborantibus, operamque noſtram & conſilium petentibus, per charitatem & conſcientiam deeſſe non poſſumus, neque debemus etiam: ita ſingulari hic prudentia atque circumſpectione opus eſt, ne remedium ipſo morbo deterius atque peſtilentius evadat: id quod facile uſuvenire poteſt. Si morbi, imo tota τοῦ νοσεροῦ σώματος conſtitutio & ratio penitius non ſint perſpectæ. Cumque duorum in Europa nobiliſſimorum regnorum eccleſiæ florentiſſimæ hic inter ſe conflictentur & belligerent: eo magis quidem providendum fuerit in utramque partem, ne oleum pro aqua, extinguendo huic incendio, affundendo, partium diſſidia, & ὅπυλον hoc κακόν, magis foveamus.

Cæterum, ſi rectum aliquod judicium in hac cauſa interponendum, & conſilium fidele impertiendum ſit, Eccleſiarum Anglicarum & Scoticarum ſtatum exactius cognitum habere oportet, quæ videlicet Epiſcoporum ibi ſit ratio: quodnam inter Epiſcopos, Eccleſiarum miniſtros & magiſtratum, de poteſtate in eccleſiaſticis negotiis, ſit controverſiæ κρινόμενον: & quo loco diſciplina eccle-

ſiaſtica illis ſit atque habeatur. Quæ omnia atque his ſimilia, cum prorſus incognita nobis ſint, illuſtris atque generoſiſſimus Dominus meus, Comes Joannes Naſſovius Pater, pro ſingulari ſuo & incredibili in eccleſiam Dei ſtudio, cura & zelo, author mihi fuit, ut te, Clariſſime Vir, cui omnia illa quam exploratiſſima eſſe exiſtimat, conſulerem, teque, ut πάντα περὶ πάντων nobis communices, obnixe & officioſè rogarem.

Cum itaque κοινωνία illa τῶν ἁγίων, quam in Symbolo Apoſtolico profitemur, in obligatione & conſpiratione quadam ſancta omnium Eccleſiæ membrorum conſiſtat, hocque velit, ut quæcunque à Deo accepimus dona & bona, ad commune Eccleſiæ bonum, pro ſua quiſque vocatione & modulo, promptè & alacriter conferamus & impendamus: de eximia tua pietate & zelo prorſus nobis perſuademus, te facilem hic nobis & exorabilem præbiturum, mihique vitio neutiquam daturum, quod in publica Eccleſiæ cauſa, publica Illuſtris Domini mei authoritate & conſilio te his meis literis tam confidenter adeam. Fecerit enim hac re non mihi tantum, ſed prædicto etiam Illuſtri Domino meo, imò tot etiam Eccleſiis in florentiſſimis illis Angliæ & Scotiæ regnis officium oppido quam gratiſſimum, cui magnum addideris cumulum,

ſi

ſi de quæſtionibus adjunctis, exactum tuum judicium & ſententiam, aliquot ſaltem verbis, nobis aperire dignatus fueris: noſque tibi ad ſimilia communionis illius Sanctorum, quæ inter ejuſdem fidei ſocios vigere ſemper debet, officia, pro noſtro modulo, perpetuum devinxeris.

Benè ac feliciter vale, Vir Clariſſime, mihique obſervande Domine. dabantur Herbornæ Calend. Octobris. 1597.

Tuæ Rever. Studioſiſſ.

WILHELMUS ZEPPERUS.

EPISTOLA XX.

Ornatiſſimo & Eruditiſſimo Viro,

PETRO SCRIVERIO,

RICHARDUS THOMSON S. D.

Lugd. Batav.

OCcupatiſſimus ſum in alieno negotio, mi Doctiſſ. mi ſuaviſſ. Scriveri. Quare ignoſces ſi minus officioſe literis tuis reſpondere

dere cogar. ſcio his deliciis non conſtare veras illas amicitias, aliis parantur lenociniis, aliis æternantur delinimentis. Quare ægrè fuit ſilentii tui excuſatio. Nam quis ego ſum cui tu aliquid debere poſſis? Scilicet nugæ illæ ad Martialem tanti erant, ut earum gratia me tam erudita & amica epiſtola convenires. & tamen hoc nomine illas æternum amabo, quod mutuæ inter nos amicitiæ conciliatrices & parariæ extiterint. Male peream niſi ego hoc novum ſacramentum ſumma ſanctitate perpetuo colam. quare ſi quid uſpiam meum eſt, deinceps meum tuum eſto. Arnobium MS. habeo, imo habui, mi Scriveri. Nam neſcio qua mala manu nuperrime adeo mihi ſublatus, dum neſcio quibus peregrinis ſarcinulas meas explico. Sed ſupereſt ſpecula, dum illi adhuc Londini hærent. ſi recipio, protinus ad te ibit. ſi quæ tibi probantur in Martiale meo, iis utaris, abutaris pro arbitratu, imo libidine tua: non eſt quod ego modum tibi illa in re præſcribam. Tuum Heinſium audio apparare nobis Eſychium. arduum & herculeum opus, & quod Augiæ ſtabuli purgationem ſuperaturum eſt. habeo quædam in illum auctorem, quæ nupera peregrinatione mea Italica conquæſivi. Si operæ precium eſſe putaveris, id illi ſignificabis, & me una diligenter inſinuabis. Vale mi doctiſſ.

ctiſſ. Scriveri, & feſtinationem meam mihi ignoſce. Cantabrigiæ & ad Kal. Jun. 1603. proxime ocioſius.

EPISTOLA XXI.

Clariſſimo & Excellentiſſimo Viro,

D. HUGONI GROTIO,

Juriſconſulto, & Hollandiæ ac Zelandiæ fiſci Advocato, Domino meo colendo.

Hagam.

S. Valde gaudeo tam feliciter mihi conciliaturam ſucceſſiſſe, qua in re Socrates apud Xenophontem ſe jactat. non enim minus Præſes noſter Hippolytus à Collibus in tua amicitia ſibi placet, & virtutes tuas doctrinamque in ſingulis pænè epiſtolis ſuis, laudibus extollit, quam te in amore ejus acquieſcere animadverto. Certè te unum eſſe ait, qui moram quam illic traxit hactenus minus moleſtam fecerit, Habet hoc virtus, ut cultores ſuos in mutuam benevolentiam pertrahat.

Dignitatem tibi novam gratulor, & aditum ad majora eſſe judico, nihil enim tam ma-

magnum eſt, quod virtus tua eximia non mereatur. Omnis Europa oculos jam conjectos habet, in cataſtrophen, qua de apud vos laboratur. Tot annis tamquam palæſtra fuit, in qua pro Europæ libertate certatum: inde jam quies reliquæ Europæ pendere videtur. Ego infidam illam gentem nihil ſincere agere, perſuaſum habeo: itaque nil niſi inſidias metuendas puto: ſed votum tuum ad Pacem, præclarum. Beaſti me tam expolito epigrammate, cujus ſimile jam dudum non legi, laudibus extollunt id amici omnes, & quamvis in ignoti auctoris admirationem & amorem rapiuntur. Gruterus noſter quamvis cogitationem triſtiſſimi ſui caſus animo excutere non poteſt, tamen vultu lætitiam oſtendit lectis tuis litteris & amica in iis ſalutatione.

Comitia quæ jam Ratisbonæ habentur, meliora nos ſperare jubent, quum egregius & inſolitus ſit conſenſus omnium eorum qui Pontificium jugum excuſſerunt: acriter flagitant, ut pax religionis, toties & nuper Donaverdæ violata, de novo ſanciatur, & juſtitia æquabiliter adminiſtretur, aliter nihil auxilii exſpectandum. Sed vos hæc aliunde ſcitis, itaque moleſtus ultra non ero, & te valere quam feliciſſime jubeo. Gernandus Manhemii cum filio novis molitionibus in-

ten-

tentus abeſt, ſalutem iis abs te dicam. Vale rurſus Heidelb. 3. Febr. 1608.

T.

G. M. Lingelshemius.

EPISTOLA XXII.

Clariſſimo Viro

HUGONI GROTIO,

DANIEL HEINSIUS S.D.

Hagam Comit.

Clariſſime Domine,

HEri demum redii Lugdunum, cum amicis diutius quam cogitaram Hagæ operam dediſſem. Nimis vero id ægre mihi fuit, quod inſalutato te, quem fruſtra aliquoties quærebam, cogerer redire. nihil enim moleſtius mihi evenire aut gravius ſolet, quam cum eo Hagæ careo, quem alibi non video. Legi his diebus Thamaram, tragædiam novam, ejuſdem autoris, cujus tu Auriacum legiſti. Fortaſſe non miraberis poëtam mihi placuiſſe, ſine quo dominæ placere non poſſum; ego vero ut ſentio, ita loquor. Multa in-

inveni ibi elegantiora quam putaram. quod in eo homine magis admirandum, quem vel leviter reſpicere ad hæc poſſe, admirationem meretur. Cæterum Lucretiam niſi amarem, Brutus eſſem. Hactenus tamen ſic ut Alcibiadem Socrates. Qui tamen amor in hoc ſexu raro citra hos fines conſtitit. Quod ſi tale aliquid in animo haberem primo τοῖς ἐρωτικοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις gratias agerem, quod eum virum, quem nonnulli integro ſeptennio vix exoraverunt, ſcribere tragædiam voluerint. Sperarem enim hanc, quantulacunque eſt ambitionem prodeſſe mihi poſſe. Nemo enim ignorat arctius hæc ſtudia τοὺς θιασώτας, quam vel ſanguinis vincula amicos conjungere nonnunquam. Sane quod Meerſio invideam nihil habeo, præter paucos forte verſus, quos in ſcriniis meis quam in ejus dote eſſe malim. Reliqua hic ſuperant: iſti autem domi naſcuntur. Semel vero animum ad conjugii leges applicare poſſe, res non minimi momenti, mihi quidem videtur. Noſti enim quam nil libris meis ſoleam negare, quos nonnunquam, ad interiorem ſpondam uſque, admitto. Fæminæ autem lecti jus omne ac ſpatium ſibi vindicant. curas vero præter hanc unam quæ in excolenda earum ætate verſatur, non immerito oderunt. Putant enim ibi ſe habere quod agant: reliqua ubique poſſe fieri, quare

ſæpe

ſæpe vel ſuſpitio hæc nobis non leviter nocet. Senecam Hagæ non paucis debeo. Theophraſtum vero ubi iterum in manus ſumpſero, haud ita facile dimittam. Ideo cras id facturus mihi videor. Si quid ſit præterea agendum, curabitur. Amantium enim more, pejerare nolo. Vale, Clariſſime domine, & amare nos perge: ante omnia vero ſubitum deceſſum meum excuſa. Lugd. Bat cIↄ Iↄ cxi. xxi. Feb.

Lepidiſſimum quid nuper evenit. Dum in atrio familiæ Paulinæ, diligenter cum Lucretiola aliquot ſpatia conficio, intervenit cum uxore amicus noſter, qui propemodum ſeſquiluſtrum amavit, è convivio cui interfuerat Honardus pluresque alii, cæpitque prædicare, audiente illa, quam ego odiſſe non poſſum, totum triclinium tuis meiſque laudibus perſonuiſſe. Ego cum me illi fidem non habere prudenter negarem, acceſſit οἴκοθεν μάρτυρ ejus uxor, quæ in majus rem auxit. ἐγέλα δὲ πότνια κύπρις. quam ego illis abeuntibus ſum amplexus. ita tum deceſſum eſt.

EPISTOLA XXIII.

ISAACUS CASAUBONUS, HUGONI GROTIO V. CL. S. D.

DE Edicto Illuſtriſſimorum Ordinum, quod nuper miſiſti, egi accurate cum Rege Sereniſſimo, cum D. Archiepiſcopo, cum aliis præſtantis doctrinæ Præſulibus. Et Rex & omnes qui legerunt, conſilium vehementer & probarunt & laudarunt. Intereſt enim religionis Chriſtianæ, & ad Proteſtantium exiſtimationem vel maxime pertinere curioſis hominibus fibulam imponi; ut deſinant tandem ὑπὲρ φρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν*, pacem Eccleſiarum turbare, & ſua illaudabili* πολυπραγμοσύνῃ *infamiam* ἀκαταστασίας *&* νεωτεροποιΐας *apud veritatis hoſtes Reformationem profitentibus inurere. Summa igitur laude Illuſtriſſimorum Ordinum prudentia digna eſt; quæ hujus ſui Edicti publicatione & curioſas hominum mentes, Deo ceptis favente, in officio continebit; & ſui imperii Eccleſiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus JESUS ille unicus Eccleſiæ auctor & conſervator, ut quem boni ſperant fru-*

ctum

ctum ex hoc ſaluberrimo conſilio, Illuſtriſſimi Ordines percipiant: & nos pro ſtabilita inter Eccleſias veſtras tranquillitate occaſionem ipſis gratulandi brevi habeamus. Neque vero conſilium dumtaxat Rex εὐσεβέστατος *& alii viri graviſſimi probarunt: ſed & formulam quoque ipſam, juſſu Ordinum conceptam. Apparet enim id eſſe actum, ut à duobus ſcopulis in hac doctrina æque periculoſis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur; quæ ſalutis veſtræ proram & puppim, principium inquam, progreſſum &* τελευτὴν, *uni Deo adſcribens, contemtum tamen bonorum operum non inducit.* Paucula ſunt tantum, quæ ut in formula concipiuntur, reprehendendi cupidis anſam videntur aliquam præbitura. Nam inter illa abrupta quæ ſunt vitanda iſtud quoque recenſetur: *quoſdam à Deo ad ſalutem invitari, quibus omnino ſalutem non dare decreverit.* quod etiam iterum paullo poſt repetitur. Atque ſi multi vocati, parvi electi, Matth. xx. 16. ſi, ut toties repetit Paulus, certus eſt ſervandorum numerus, quos ab æterno Deus elegit: ſequitur neceſſario non eodem propoſito, neque pari efficacia ad ſalutem omnes homines vocari. Hoc igitur ſi auctores Edicti negare voluerunt, multi ſine dubio exiſtent, qui eorum ſententiæ ſeſe ſint

oppoſituri. Videtur etiam hac formula jus decernendi de capitibus fidei civili tribui magiſtratui: quod neque priſci Imperatores utque Rex Ser. M. B. ſibi unquam vindicarent. Non clam te eſt, decretorum in Niceno Concilio editorum auctorem nunquam eſſe habitum Conſtantinum: neque Marcianum eorum, quæ ſunt in Chalcedonenſi conſtituta; ſatis namque habuit uterque Imper. profectos à Patribus canones ſua auctoritate munire, ut à populis reciperentur & deinceps obſervarentur. Ea diſciplina an iſthic vigeat, noſtrum non eſt quærere: ſperamus tamen Illuſtriſſimos Ordines pro ſua pietate & prudentia Deo & ejus miniſtris quod Dei eſt ſemper relicturos; ſola ſibi ſumpturos quæ ſunt Cæſaris, id eſt, quæ ex Lege Dei ad pii Magiſtratus curam pertinent. Non defuerunt, qui etiam in fine Edicti verbum *educare* ſic interpretarentur, quaſi dicerent Illuſtriſſimi Ordines, populos ſuos in vera religione eſſe à ſe inſtitutos. Nam, ut ſcis, id verbi de inſtitutione plurimum uſurpatur. Id vero munus eſſe Epiſcoporum & paſtorum potius quam Principum dubitat nemo. Sed fuit forſaſſe alia mens illis qui Edictum compoſuerunt. Spero autem, Groti præſtantiſſime, viros illos ampliſſimos, qui tibi auctores fuerunt, ut id ſcriptum ad me mitteres, quicquid

quid in ea re eſt à me factum æqui boni conſulturos. Sic faveat Deus immortalis piis omnibus Illuſtriſſimorum Ordinum ceptis, & illorum imperium ſervet, fortunet, adaugeat. Vale, vir Clariſſime, & me ama. Londini XIII. Kal. Junias clↄ Iↄ cxiv.

EPISTOLA XXIV.

AD EUNDEM.

Vir præſtantiſſime.

ACcepi tuam illam epiſtolam, cui erat adjunctus Lucanus à te recenſitus & dono mihi miſſus: item illam, quæ erat de opere meo. De munere eximio habeo agoque tibi grates gratiſſimas. Utinam per publica negotia tibi licuiſſet illuſtrationi optimi poëtæ plus temporis impendere. Quid potuerit exſpectari ab ingenio & doctrina tua, ex adjectis Notulis facile periti æſtimabunt plane ut olim, neſcio quis, ex ungulis leonem. In tua de opere meo ſententia amoris tui erga me vehementiam agnoſco; illud ἀκριβὲς judicium quo excellis deſidero. Illud magni æſtimarem ſcire, quid Theologi veſtri de opere & de auctore operis judicent. Memi-

miniſti de epiſtola ad C. Pellocium quam . . . . ſententiam non nemo apud vos tulerit: qui ex illo tempore ſic renunciavit amicitiæ meæ, quaſi ſcelus admiſiſſem propter quod mihi indici poſſet Maran atha. Ego editione hujus libri illud duntaxat lucri ſum conſecutus ut penſionem amitterem aureorum mille, quam hactenus è Gallia perceperam, niſi Lutetiam me ſtatim contulero. Quod quia vix videtur fore tutum, niſi aliter res meæ hîc fuerint conſtitutæ, in regione tam damnoſa hærere diutius non potero. Me in magno æſtu cogitationum moleſtiſſimarum καὶ ἀπορῶν, (nam quo me recipiam?) nihil æque ſolatur ac divina vox patris Abrahami, ὁ Θεὸς ὄψεται. Hæc ſacra anchora eſt, ἐφ' ἧ σαλεύῃ ἡ ναῦς ἡ ἡμετέρα. Quod de profectione ad nos aurem mihi vellis tu quidem profectò καὶ αὐτὸν σπεύδοντα ὀξύνεις. Sed neque valetudo hoc permiſit hactenus, neque adhuc licet per curas quaſdam: τὸ δὲ μέλλον Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Vale & tuis literis me bea, niſi ego tibi animo excidi. ὃ μὴ γένοιτο ἐχ' ἴσαι. Quæ hîc ſcripſi, tibi uni cupio eſſe nota.

Is. Casaubonus.

EPI-

EPISTOLA XXV.

Ampliſſimo & Clariſſimo Viro

D. HUGONI GROTIO

Juriſconſulto ac Syndico

HECTOR BOURICIUS S.D.

Roterodamum.

EX quo tempore, Vir Ampliſſime, immortales animi tui dotes condigna uti ſolet fama atque admiratio comitata eſt, non deſtiti ex eo, tanquam ex plebe proletarius, ſublimes ingenii tui virtutes ſecreta admiratione complecti, ac mihi de hoc ſæculo, nedum Republica noſtra gratulari, quod in eâ extitiſſet is, qui (quod in multis toties deſiderabatur) doctrinam cum humanitate conjunxiſſet, nec injuriâ: nam cum in unum te Natura contulerit, quicquid in pluribus conatur, tum illam voluit in te humanitatem ac candorem elucere, ut tibi uni optime eulogion africum convenire videatur. Ea res effecit, Vir Ampliſſime, uti aliquando in illam cogitationem evecti ſimus, fore, ut nos

 licet

licet humi repentes, virtutis tamen tuæ unicos cultores, quæ tua eſt humanitas, non aſpernareris. Itaque cum hiſce diebus anniverſarium ſcripſiſſemus dudum tanti Viri manibus debitum, paſſi ſumus hoc jam abituriens ad te evolare, non quidem ut illud cenſeas, cui vix à publicis curis tantum ſcimus eſſe ocii, ſed ut in nobis illam bene merendi voluntatem de literis ac literatis æquo animo approbes. Atque ego eo melius ſpero, quod jam pridem intellexi, illam inter te & Iſ. Caſaubonum interceſſiſſe amicitiam, quæ inter conjunctiſſimos poſſet; quod ipſum niſi multis argumentis poſteritati foret comprobatum, vel unicum illud judicium ſummi Viri de ſcriptis tuis abunde faceret teſtatum. Etenim ea eſt tui ingenii dexteritas, ut cum res diverſiſſimas agas, tantâ felicitate illud aſſequaris, ut non didiciſſe, ſed in memoriam revocaſſe videaris, ad quæcunque accedis. Sed poſtquam te ſalus Reipublicæ noſtræ negotiis publicis admovit, tum vero palam feciſti quid abſolutum ingenium poſſet, in quo elaborando natura contendiſſet. Poſſet unus ille liber, quo Batavos Republicâ donaſti, luculenter teſtari, quâ tu vi ingenii ad hæc ſacra accedas, niſi hæc ipſa tibi ſcriberem, Vir Ampliſſime, cujus quanto eſt erectior indoles, tanto proprias laudes amoliris: Ve-

lis

lis nolis A. V. hoc tibi tribuet omnis ordo, omnis ætas, te prope unum hac tempeſtate Reipublicæ obtigiſſe, cujus humeris ſarcina publicæ curæ tuto imponi ac concredi valeat: Hæc de meritis, hæc de virtutibus tuis conſtans fama eſt. Cæterum homines difficili ingenio atque ab alio aëre craſſo plorare non vetamus. Vale, Ampliſſime Domine, diu ſuperſtes literis ac Reipublicæ. Leovardiæ Friſonum pridie nonas Septemb. M. DC. XV.

EPISTOLA XXVI.

Clariſſimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

PETRUS CUNÆUS S.D.

QUi valeas, quidve agas rerum, valde ſcire cupio, cognate dilectiſſime: fuit mihi heri cum Hogerbetio multus de te ſermo, cum ille librum tuum * cum admiratione legiſſe ſe, ac vehementer probari ab omnibus bonis diceret. ita enim judicant, neminem eorum, qui iſtis partibus favent, quidquam hactenus edidiſſe quod cultum

* Bogermannus ἐλεγχόμενος.

magis literatumque ſit. defendiſti cauſam non Grotii modò, ſed ampliſſimi Senatus Batavici, quam integer populus, fautor & cultor optimatium, non hæc zelotarum factio, probat. ego, etſi nihil haberem quod ſciberem, tamen committendum non cenſui, ut tibi tam felicis incepti fructum ex animo non gratularer. id ſatis cauſæ fore arbitrabar, uti tibi epiſtolâ obſtreperem. non enim debeo de argumento ſolicitus eſſe, cum te compello. Virum omnium, quos novi, conjunctiſſimum nobis amiciſſimumque D. Epiſcopium Pariſiis fuiſſe, ex ſyndico noſtro intellexi, cujus rei ſucceſſum ipſi invideo. Me vero neſcio quis vanus metus ab propinquis amiciſque injectus, proficiſci illuc vetuit, quo maximè cupiebam. adeo triſtes rumores quotidie ex Gallia afferebantur de principum diſcordiis, quas nulla alia res, niſi ferrum & vis, judicare poſſet. quare imprudenter facturus mihi videbar, ſi tali tempore turbatam viſerem rempublicam. eſt quidem (fateor) modus rerum omnium optimus, ſed tamen, ſi à temperamento diſcedendum eſt, malo equidem haberi paulo metuentior. non ſine cauſa dixit olim ille, Matrem timidi flere non ſolere.

οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς, οὐδ' ἐνιαυτοὺς.

plu-

plures recurrent feriæ, per quas exſpatiari nobis, & vicinos adire Gallos licebit. Vale cognate dilectiſſime & uxorem tuam meis verbis ſaluta. Hagæ comitis poſtridie Calend. Octobr. 1615.

EPISTOLA XXVII.

AD

HUGONEM GROTIUM,

Roterodamum.

Magnifice Ampliſſimeque Domine.

HOdierno mane nunciavit mihi ornatiſſimus collega meus, adveniſſe in urbem D. Utenbogartium, ac, quod antea factum nunquam, velle me inviſere: collaturum autem de jure ſummi magiſtratus in Eccleſiaſticis. Statim in mentem venit, non id colloquii aut diſſertatiunculæ ergo fieri, cum ignorare non poſſit, quam mihi curta ſit ſupellex, ſed potius quia poſtulare ſtatuiſſet,
quæ

quæ hac de re nuper ad A. T. ſcripſiſſem. Nec ea me ſuſpicio fefellit. Nam vix de valetudine mea & ſtatu collegii noſtri exquiſierat, cum ſermonem injecit iſtiuſmodi, ecquid ſub manibus haberem, quod brevi lucem reſpicere poſſet. Et cùm negarem me ob difficultatem muneris in hiſce primordiis, aliquid edecumatum & ſeculo dignum elucubrare poſſe: porrò inſtitit, nihilne de principali jure in Eccleſiaſticis eſſem commentatus. Sciebam quò tenderet, & mentiri non erat meum. Reſpondi igitur, ante trimeſtre aut amplius ſententiam me meam ad aliquem chartæ illeviſſe, ſed ſtatuiſſe, ſimulac paullum otii nactus ero, quatuor aut quinque diſputationibus eam rem in collegio accuratiùs pertractare. Non improbavit conſilium: ſed tamen optare ſe interim dixit, ut ſibi inſpiciendi eorum quæ ſcripſiſſem, qualiacunque ea eſſent, facerem poteſtatem. Addebat, jam à tribus retro menſibus vel amplius ſciſſe ſe, me aliquid tentaſſe. Dicebam mirari me unde hoc haberet, cum præter eum ad quem ſcripſiſſem, nemini mortalium rem communicarim, uno excepto collega, qui fidem dediſſet, ſe cum nemine hac de re verba facturum. Reſpondit ſe ex A. T. rem cognoſſe: idem dicebat D. Epiſcopius, qui aderat. Non tam naris obeſæ eram, ut non odorarer,

cur

cur hoc mihi perſuaſum vellent, ſed tamen diſſimulabam. Optarim interim magis collegam hac parte litaſſe Sigalioni. Imò me ipſum. Quando iniquè ab altero ſilentium exigit, qui ipſe illud præſtare non potuit. Addebat D. Utenbogartius, ſi bonâ meâ veniâ fieret, velle ſe ab A. T. ſcriptum iſtoc expoſcere. Dixi non diſplicere, ut prius videat, quid ſcripſerim. Putare enim alia etiam familiaria eis literis eſſe admiſta. Velle itaque quam primum ad te ſcribere. Rogavit igitur, ut hoc quam primum facere vellem. Rem me ſibi gratiſſimam facturum. Nunc oratum te velim, ut ſi otium horulæ detur, oculo volanti percurras, & ad oram epiſtolæ lineam tranſverſam ducas, ubi quid à me prætereundum arbitreris. Si tamen id per occupationes non potes, ipſe agam, priuſquam alteri chartas iſtas exſcribendas dedero, quò Utenbogartio mittam. Illud quoque candide ſcribere illi ſtatui, ſiquid hic boni ſit Tuæ hoc A. tribui debere, cujus hac de re ſententiam non ita pridem antea legiſſem. Quod ſi illud ipſum exemplar, quod A. T. habet, mitti poſſet, opus foret ſimul addere, ne cui illud alteri mitteret, quando ad te familiariter ſcriptum eſſet, more Romano non ſeculi noſtri, quo inferiores non ſic ad tui ordinis ac dignitatis viros ſcribere ſolent. Vale Magnifice, Ampliſſi-

pliſſimeque Domine, & uxorem ſaluta τὴν δῖαν γυναικῶν. XXIII. Jan. cIↃ IↃ cxvi.

T. A. devinctiſſimus

G. Vossius.

De Comaſte Theocritici certior fieri aveo: item an inter Theocritica non etiam habitura ſint locum epigrammata ex eodem expreſſa. Nam ſi non epithalamii Helenis & Oaryſtris memimiſti, ceſſandum erit operis, uſque dum accepero reſponſum.

EPISTOLA XXVIII.

JACOBO PETITIO J. C.

Ornatiſſime Vir, amicorum candidiſſime,

QUod litteras tuas priores bilingues vocaverim, & trilingues me propediem expectare ſcripſerim, non ſcripſi, ut te riderem, ſed ut rideres. Cum enim te feſtivo & minimè moroſo eſſe ingenio virum ſcirem, ſtudio captavi hoc feſtivum dictionis argumentum, & luxuriatus hic nonnihil fui liberius, ut & mihi minus moleſta eſſet ſcriptio, & tibi minus ingrata litterarum mearum lectio. Te-

Teſtor amicitiæ fidem, ea quæ ſcripſi, non ſcripta eſſe ullo maledicendi aut conatus tuos optimos & laudabiles ſuggillandi animo, ſed ut oſtenderem, quantam de amicitia & tuo in me affectu fiduciam concepiſſem. Putabam enim licere mihi apud te ſuavius jocari, nec veritus fui offenſiunculam (ſi qua ſit) ejus, quem inter mihi amiciſſimos primum ſemper habui. Nec illud, quod de triplici charactere ſcripſi ab alio animo profectum puta. Familiare eſt litteris quævis inſpergere, læta, triſtia, extera, domeſtica, & quidvis non, nec ullis hac in parte legibus circumſcribitur epiſtolarum materies. Nihil hic peccaſti. nec te peccaſſe innuere volui. Sed ne nihil ſcriberem, volui apud te leporum & elegantiarum patrem lepidè nugari. Quod ſi nimis me tibi familiarem eſſe putas, ignoſce quæſo, & judicii culpam eſſe credas, non animi. Non ſum ex eorum numero, qui amicum perdere malunt, quam ſententiam. Et tu tamen nigrum ſalem adſpergere videris, dum ita in Criticam inveheris, cujus ego tecum oſor ſum maximus. Si iſto lapide me petis, innoxium feris, & ut Ariſtotelico utar, tu me lædis, ſed ego non lædor. Sed reponis hoc, ut ſcævam iſtam vocis Pandectarum interpretationem ulciſcaris, aut quia minus honorificè de codice Juſtiniano ſenſi. Fateor juſtum eſſe do-

lorem

lorem tuum, qui pro facultatis tuæ acroterio decertas, nec inficias eo, majorem iſtis laudem deberi, quam exangui Criticæ. Sed cum antè ſcripſiſſes, Græcum non legitur in meo Codice, volui ad Codicem & Pandectas iterum argutari, & cum de Græcæ linguæ majeſtate minus laudabiliter ſentire videreris, volui convicium convicio rependere. Itaque Sophiſtam egi, & ſtudio vocem illam Pandectarum laxius ſumſi, quam ſumi debebat. Sed tu optimè ſophiſma meum diluis, & fallaciam à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter (ut cum Logicis loquar) tua reſtrictione diſpungis. Iterum repetam, jocari volui. Si bona intentio (jam cum Theologis loquor) factum juſtificat, à culpa omni liber ſum. Sed & hic fortè prava ſuſpicione pecco. quod ſi verum eſt, illud poëtæ cogita,

Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Quicquid ſit, offendere amicum non debebam, nec volui amicus. Et noſti indolem meam. odi ſupercilia, frontes caperatas, & moroſam illam quorundam in ſcribendo ac dicendo gravitatem. An ſemper Homero ſerius eſt Juppiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε? An non ſubinde cum Junone ſua aut lòripede Vulcano ineptit & nugatur? Quam ſuaviter, quam

quam jocoſè, quam lepidè cum amicis ludit in Epiſtolis ſuis magnus ille Eraſmus, etiam tunc, cum ad Epiſcopos & Cancellarios ſcribit. Ego quod coram jam non poſſum, abſens per litteras facio. Si diſpliceat, & ſeria magis amas, quam jocoſa, induam faſtum Theologicum, & eo orationis genere utar, quo ſacra ſua peragunt Deorum ſacerdotes, aut Canonici non ſeculares. Sed aut ego vehementer fallor, aut minus ad palatum tuum erunt tam ſacra condimenta. Malim & ego quoque ἱεροσμιάζειν. Bethlemum nominas & Mansfeldium, nomina magna, quorum ille imaginarium, hic ſerium militem conſcribit. Uterque ſpes noſtras lactant, & maximorum votorum reos, Belgas faciunt. Breda Auſtriacum & Auriacum exercet, quo eventu novit ille, qui res omnes nutu temperat. D. Doctori Sponſo felicem Hymenæum & facilem ſponſam meis verbis precare. Ampliſſimo doctiſſimoque viro D. D. Noortwicio tibi mihique amiciſſimo ſalutem plurimam dicas. Meliuſculè ipſum valere equidem gaudeo. Hoc ſciat vir humaniſſimus, eam me de ipſius virtutibus concepiſſe opinionem, ut ſatius putem, de iis nihil dicere, quam frigidè laudando eaſdem depreciare. Salveant à me affinis tuus, ſoror, D. D. Goyerus aliique. Tu valetudinem tuam cura & nuptiis D. Borrii

te integrum ſerva. Lugd. Batavor. IX. Januar. Anno M.DC.XXV.

Tui amantiſſimus

C. Barlæus. M.D.

Heſterno die rectoratu ſuo exutus eſt D. Lettingius, eique ſuffectus D. Screvelius rector nuper Harlemenſis.

EPISTOLA XXIX.

JACOBO PETITIO J. C.

AD litteras tuas Aſiaticas reſpondebo Laconicè, Petiti dilectiſſime. Dum enim libellos hoſce meos ad amicos mitto, ad plures mihi ſcribendum eſt. Abit ad te exemplar unum, quod ex inſcriptione cognoſces: reliqua duo velim tradas fratribus Borriis, Secretario & Medico. Pag. 219. invenies hendecaſyllabos, quibus ad nomen tuum alluſi, quàm feliciter, tuum erit judicare. Res conjugales tui cognati peſſimo ſunt loco. Perdidit eas nimiá quorundam ſecuritas, & importunæ procraſtinationes. Moniti ſunt à me tem-

tempeſtivè, ſatis, periculum eſſe in morâ: Multo cadere inter calicem ſupremaque labra. Sed ſerò ſapiunt Phryges. Filia iſta ad parentes reverti pertinaciter detrectat, quin contractum nuptialem diſſolvi cupit. Si parentes eam publica authoritate domum ducant, exacerbabitur magis: ſin minus, longa abſentia refrigeſcent amantium, ſi qui fuerunt, igniculi. Quid ergo? ἐπέχω. lupum auribus tenent. * D. Jacchæo valetudo eſt afflictiſſima, laborante in eâ potiſſimum animali facultate. pars corporis dextra paralyſi correpta eſt; hæret lingua, & funerata eſt ea animi pars, qua Achilles eſſe ſolebat, Ratio nempe & divinæ auræ excellens illa particula. Non jam virum, ſed puerum dixeris, non ſapientem, ſed amentem; non facundum Ariſtotelis interpretem, ſed elinguem prorſus & infantem, nihilque minus, quam philoſophum. Ita in manu creatoris poſitum eſſe diſcimus, omne illud, quod ſumus. qui ſi depoſitum ſuum repetat, ſumus, quod fuimus, nihil. D. Coddæus ex ſimili penè morbo æger, per Dei gratiam convaleſcit. Gliſcunt hic diſſidia inter concionatores. Qui à Feſti † concionibus alieniores ſunt Leyderdorpiam excurrunt, more

G 2 ve-

* Gilb. Jacchæi morbus. † Hommii.

veteri. Sed quando dabitur tua ora tueri, & notas audire & reddere voces ? Novi compedes domeſticos, qui te detineant. Nec accuſo. & illud per quam familiare, morem ut geram Thaidi. Vale & uxorem, totamque amicorum turbam ſaluta. E Muſæo noſtro, Lugd. Bat. 12. April. 1628.

Tui Studioſiſſimus

C. BARLÆUS.

EPISTOLA XXX.

JOANNI FILIO.

Dilecte Fili. Ciſtam, quod gaudeo, tandem recepi. ſed necdum ullæ mihi à te literæ ſunt redditæ. Itaque ut tu nuper cum una veheremur, ejus, qui aſſiduè te antecedebat, equum, à tergo egregiè, ſemel tamen non ſine periculo ad currendum concitabas: ſic ego nunc te ſæpius ſcribendo ad ſcribendum excitabo. Æquum tamen erat ut hac parte induſtriam noſtram longè ſuperares. Quas enim prætexere occupationes poſſis? Quare quam primum calamum in manus ſume, ac nunc quidem Latinè, brevi autem

etiam

etiam Græcè aliquid diſſere nobiſcum; ut videre poſſim, quantum in ſcientiis ac ſtylo proficias: gaudereque poſſim, ſi te intelligam οὐκ ἀνάξιον εἶναι ἢ τῶν σῶν ὑποσχέσεων, ἢ τῶν ἡμετέρων ἐλπίδων. Fac, fac ut illud cognoſcam. Vernat ætas tua, nunc ſerendum. Quod ſi neglexeris, plorabis poſtea, cum plena eſſe videbis fratrum & aliorum horrea, tua eſſe vacua, atque id tui unius culpa. Sectare igitur pietatem ante omnia, cujus vinculo virtutes omnes nexæ. Hinc ingenium exerce, exerce induſtriam. atque ita viam tibi muni ad doctrinæ & ſapientiæ arcem; imo & famæ. Quam ut conſequaris ex voto noſtro, profecto laborandum erit. Siquidem non niſi per Virtutis templum itur in templum Honoris. Sperne igitur voluptates, nocet emta dolore voluptas, ut poëta ait. Quam multos noſti adoleſcentes, quibus volupe eſſet verſari in popinis, curſitare per plateas? At noſti etiam, quis eos exitus manſerit. Tu igitur ne per has gaudeas circumferre corpus; ſed potius animum circumfer per ſcientias univerſas. Ire ſi lubet, ſic domi etiam, atque in muſæo, recto & firmo pede ibis ad ſapientiam. Et profectò cui bono (quòd adoleſcentuli quidam faciunt, ubi ferulæ manum ſubduxerint) ita illis corporis pedibus vagari? Turbida eſt mens huc illuc diſcurrentium, non compoſita:

compoſitæ mentis, ſignum eſt poſſe conſiſtere, & ſecum morari: quod in vita omni locum habet, etiam in ſtudiis ipſis. Eoque utrunque tibi cavendum: ne vel corpore, vel animo etiam ſis vagus; In priori ne pecces, malorum fortè conſortio illectus, improbos & ſegnes à te ſegrega; jube eos ire in Morboniam. Sodales habe raros, nec niſi probos, doctos, modeſtos. De altero autem ita cenſeo: ſic tibi animum per varias diffundendum diſciplinas, ut interim præcipuè eum in certo occupes ſtudii genere. Horum utrumque ſi egeris, ô quam tibi conſules! quantum tibi decus ſurget! Adeſt ætas, ſuppetit occaſio. Tantum ipſe ut velis opus eſt. Oblectare interdum animum vis? Unde id melius, quam è literis amænioribus fiat? At paſcere vis animum ſolidiori dape? In philoſophiâ quidem habes Ariſtotelem, habes Senecam. Uterque eorum, utcunque interdum diſſentiant,

——— *judice me non ſordidus Auctor Naturæ Verique.*

Sit ſanè in natura potior Stagirites ille: nunquam diffitebor. At Seneca longe magis accendet ad odium vitiorum, ac contemtum rerum externarum. Senecæ tamen addi placeat Epictetum cum Interprete Arriano. Quia

vero

vero conqueri ſoles, non eſſe tibi memoriam, (ego non à naturâ, ſed aliundè oblivionem tibi obvenire ſcio) age, imitare exemplum meum, adverſaria confice, ubi pulcherrima quæque in ſuos digeras locos. Hæc ſemper ad manus ſunto. Idque & magnum illum Plinium feciſſe ſcias. Nam, ut de eo junior Plinius refert, *Nihil unquam legit, quod non excerperet.* Tardius quidem lectio procedet; ſed quæ chartæ inſcribes, ſimul quodammodo animo inſcribes. Et dum quidque ad ſuam referas claſſem, eâdem chartâ & olim lecta invenies, & recens lecta ſubjunges. Quæ collatio & priorum memoriam refricabit, & ſimul firmabit judicium. Prætereà jucundum erit poſtmodo quæ ex variis authoribus congeſſeris, uno quaſi intuitu videre, & ex horreis ſuis quaſi meſſem propriam depromere ad uſus, quos voles. Hoc age mi fili. Et ages ſpero. Jam enim optima mihi de te opinari, ac propemodum ſpondere incipio. Deus ſpero audiet tot ſuſpiria ac vota noſtra. Tu tantum enitere, ut vota hæc, quantum in te eſt, impleas. Sic tibi fructum, ſic apud alios gratiam paries, imo & famam. Mihi vero gaudio eris: eo magis, quia ſic cogitabo, ſi quid mihi humanitus contingat, te fore Tutelam parvulis meis. Vale mi fili, ac Deum time, monitaque mea ani-

animo inſcribe penitiſſimo. Jucundiora poteram ſcribere, non utiliora. Amiciſſimam à me ſalutem dices ampliſſimo Dom. Procancellario: cujus ego affectum erga me teque, non Cantabrigiæ modò, ſed Londini etiam, ſatis perſpexi. Item Doctori Whrenno, ſi apud vos eſt. Scripſi ad eum: ſi ad Epiſcopale jam faſtigium ſit evectus, ut audio, fac me certiorem. Mihi perjucundum erit hunc ei honorem gratulari: etiam ſalutem dices ſummis & clariſſimis Viris, Collens, Wardo, Belo, Porter, Charterton, Critoni: adhæc Duncono, Johnſono, Hallo, Franzio: & verbo ut dicam, cunctis nominis mei amantibus: Quos ego tum ob virtutes ſuas, tum ob affectum mihi præſtitum colam æternum. Mater & Fratres te plurimum ſalutant. Ex quibus Franciſcus poſt quatriduum publicè pro gradu doctoratus diſputabit. Deum oro ut feliciter hoc ei vertat. Lugd. Batav. ∞ IↃ cxxx. Ipſis Kalendis Februariis.

Pater Tuus

GER. JO. VOSSIUS.

EPI-

EPISTOLA XXXI.

JOANNI FILIO.

Cantabrigiam.

CAriſſime Fili. Hodie demum, qui 13. eſt Februarii, literulas accepi, 23. Jan. exaratas; nec ante eas, ex quo redii ex Britannia, vidi à te ullas. Sed iis quas dixi, meminiſti aliarum, quas octiduo ante à te miſſas ais. Addis te his exquirere judicium meum, utrum te ſatius ſit Juri, an Theologiæ operam dare. Scis ſacrum me ſtudium longiſſime præferre: ſed cauſſæ fortaſſe ſunt, cur diſparem tui, quam aliorum multorum, rationem eſſe exiſtimes. Eas credo cauſas literis iſtis, quas dicis, complexus es. Quare ubi illas accepero, ſedulo eas perpendam, teque de ſententia mea ociſſime reddam certiorem. Interim vetus inſtitutum urge, teque ſedulo in ſtylo exerce, qui optimus eſt dicendi Magiſter. Omnino me male habet, quod ita rudis & ſcabra ſit dictio tua. Et quia in Britannia vulgo patria magis lingua eſt in uſu, quam Latina; metuo ne ea res magis etiam incommodet, & ſpiſſe omnino fiat, ut pure terſeque loquaris ac ſcribas.

Nec enim aliud ſupereſt remedium, quam ut veterum unum alterum legas & relegas, uſque dum in ſanguinem eum & ſuccum verteris. Nec legiſſe ſuffecerit: etiam imitari opus erit. Qua parte hactenus operam & induſtriam tuam penitus requiro. Quæſo, ne patere me diutius ſurdo canere: velim etiam à te legi antiquos illos ſapiendi magiſtros, Ariſtotelem & Platonem, Plutarchum cum Seneca & Epicteto. Tu rivos aut lacus magis conſectari ſoles. Atqui, ô Fili

Multum, crede mihi, refert à fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.

Ut eſt apud Bilbilicum Poëtam. Sed hæc ſtudia ſpectant. Aliquid etiam de vita accipe. Ajunt àliqui te ſæpius colloqui cum puella Cantabrigienſi; imo ſæpe adeo itare ad eam, ut ſuſpicio multis oborta ſit eam à te amari, utcumque indigniſſima ſit te & genere noſtro. Jam in Anglia tale quid inaudieram. Sed cum orſus eſſem de eo colloqui, totum illud cum riſu excipiebas, & haud aliter diſſlabas, ac ventus farfari folia. Nempe ſic loquebaris, quaſi cogitationes tuæ tantum ab amoribus abſint,

Quantum Hypanis Veneto diſſidet Erydano.

Et

Et ſane ſecurum me ea parte reddebas, quia ſatis viſus es cognoſcere hunc fore præcipitem gradum ad ruinam. Veruntamen ſi ſic animatus es, quid attinet occaſionem præbere aliis ad hæc diſſeminanda de te? Scis te ſocium eſſe collegii Jeſu. Scis quos mores hæc vita poſtulet. Fuge igitur ſequiorem illum ſexum; vel ſi res ita ferat ut honeſte te ſubducere non poſſis, ſis præſens abſens. Illecebras iſtas (præſertim Britannicarum puellarum, quibus nihil illecebroſius eſſe ajunt) ne vide, etiam cum vides. Illorum etiam commercia fuge, quibus ſexus ille ſemper in corde, ſemper in ore. Aude tales contemnere ne contemnaris à bonis. Imo ne vulgares quidem animas ſectare, quas amare ſoles. Non cadit in eas ſapientia. Scis illud Biantis, Οἱ πλεῖστοι κακοί. Sectare igitur pauculos, quos pariter pietas, prudentia, & eruditio commendant. Horum vel aſpectus magis juvabit, quam longi cum blennis illis & bliteis ſermones: quorum λόγοι vere ſunt logi. Tantum abeſt ut proſint, ut etiam obeſſe ſoleant. Atqui inquies, non ſemper eſt copia egregiorum hominum. Si occaſio cum iis colloquendi non erit, colloquere cum mortuis, vel potius, audi quid illi tibi præcipiant, quid narrent. Hi non modo eruditionem augebunt; ſed animum etiam roborabunt in turbida hac vita.

Si voluptatem amas, hanc elige, quæ voluptatum omnium ſumma eſt. Quid enim ſuavius jucundiuſque quam audire Deum loquentem & Chriſtum in verbo ſuo? Audire Moſem, Prophetas, Apoſtolos, Evangeliſtas. Audire beatos illos martyres & eccleſiæ Doctores, Ignatium, Juſtinum, Irenæum, Cyprianum, & reliquum beatarum animarum chorum. Nonne hos pio devotoque animo legere, plus eſt quam caput inter nubila condere, ſidera ipſa digito attingere? Quid etiam præſtantius ſuaviuſque quam ex Ariſtotele, Plinio, aliis, diſcere rerum naturam, atque inde videre Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem: potentiam quia ex nihilo fecerit omnia; ſapientiam quia optimo ordine digeſſerit omnia; bonitatem quia noſtri cauſſa fecerit omnia? Quid adhæc excellentius, quam ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Dionyſio Halicarnaſſeo, Livio, Plutarcho, Tacito, aliiſque magno numero, cognoſcere omnium ſeculorum decurſum; imperiorum initia, progreſſus, vigorem, decrementa, interitus, cauſſas, modos, eventus omnium conſiderare; atque ita non ſolum proficere in iis quæ civilem prudentiam ſpectant; ſed videre ſimul Providentiam Dei, cujus hiſtoria ſpeculum eſt? Quantum nunc illud, quod omnes magnæ illæ ani-

mæ

mæ (fuerint Epiſcopi, Imperatores, ac reges aut cujuſcunque tandem conditionis) ad tuum quaſi arbitrium ſe ſiſtunt tibi & rem omnem exponunt, neque id negligentes, quomodo multa omnibus excidere ſolent: ſed quomodo hæc poſt longam meditationem dixiſſent ſi totus orbis ad eas audiendas confluxiſſet. Neque nunc demum hoc vitæ genus incipio æſtimare, ſcis me feciſſe à puero. O quam mihi jucundum meminiſſe quod ſic ætatem hactenus tranſegerim! Nullius enim æque avarus fui ac temporis, eoque nunc cum voluptate anteacti temporis recordor. Propemodum cum Poëta dixero,

* *Nulla recordanti lux eſt ingrata graviſque,*
Nulla mihi cujus non meminiſſe velim.

Nimirum ut idem ſubjicit,

Ampliat ætatis ſpatium ſibi vir bonus; hoc eſt
Vivere bis, vita poſſe priore frui.

Quæ ego apud alium non dicerem; apud te id mihi liceat, quia ſcis ea à me dici, & non ad jactationem dici, ſed ut te excitem ad imitan-

* Martial. l. 10. Epig. 22.

tandum Patris exemplum. Alioqui enim futurum ut magno cum dolore memineris ſenex, tot dierum, tot annorum, quos nugis & ineptiis tranſmiſeris. Quod temporis effluxerit tuum amplius non eſt. Sed adhuc in manu tua (modo Deus tibi longævam vitam conceſſerit) aliquid eſt adoleſcentiæ, & tota porro juventus atque ἀκμή. Nondum imitari me ſerum eſt. Tantum contemne voluptates, quia tanti non ſunt, ut æternum propterea miſer eſſe velis. Voluptatis enim breve gaudium, longa pœnitentia. Labor in ſtudiis peractus non ſentitur, ſed fructum ac gaudium relinquit per omnem ætatem. Itaque nunc valde eo delector, quod ſtultis voluptatibus non delecter, ac ne adoleſcens quidem delectari ſoleam. Tibi ſimilem animum opto voveoque, & eſt jam is, ſi is ſis, quem fore te abeunti mihi recepiſti. Et ſane ex Britannia non unas literas expecto, ex quibus intelligam te, * οὐκ ἀνάξιον εἶναι, ἢ τῶν σῶν ὑποσχέσεων, ἢ τῶν ἡμετέρων ἐλπίδων. Hoc quidem ex te cognoſcere aveo; ſed magis aliunde. Cauſſam ſcis, qui parentum animos noſti, præſertim ſi aliquando eorum liberi ſpem fuerint fruſtraſti. Nempe nos etiam † οὐκ οἷς λέγεις μᾶλλον προσέχειν, ἢ οἷς ποιεῖς, ut Gregorii iterum verbis utar. Vides, ut in tantis occupatio-

* Nazianz. Ep. 118. † Nazianz. Ep. 121.

tionibus deſinere neſciam, cum ad te ſcribo; imo tui etiam cauſſa ad alios ſcribam, etſi curanda adeo multa ſint domi, ut quo me vertam neſcio. Sed omnia vincit amor tui, quem, quanto magis virtuti ſtudebis, tanto magis tibi demereberis. Ut lignis alitur ignis; ſi fomes abſit extinguitur; ita bonorum parentum amor alitur, ſi liberi virtuti incumbant; hanc ſi deſerant, paulatim ardor ille paternus imminuitur, imo extinguitur. Fove igitur ignem illum in pectore noſtro, ut debeat quidem naturæ ortum ſuum; ſed fomitem atque incrementum virtuti tuæ. Significa mihi quantum ſit impenſum coactilibus pro Senatore Caſimbrotio emptis, & quanto amplius acceperis ab eo quam refuderis. Nam neceſſe eſt ut ego atque ille rationes putemus inter nos. Fac me etiam certiorem de nominibus, prænominibus, & dignitatibus omnium eorum, quibuſcum Cantabrigiæ ſum verſatus, imo & Londini, & Oxonii, & Cantuariæ. Dices te non omnium meminiſſe; credo, ſed perſcribe quorum recordaris. Etſi de aliis excidit, Cantabrigienſium ſaltem omnium, & nomina & munera ſatis noris. Eruditiſſimus atque optimus ille vir, qui Caſaubono olim familiaris fuit, & nobiſcum apud reverendiſſimum & illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum prandit, nomen

ſuum

ſuum in libello illo chartæ delectilis annotarat. Sed ajunt Fratres libellum eum te habere. Utcunque eſt ſignifica ejus nomina, ac quo munere & ubi fungatur. Frater tuus Franciſcus præclare admodum ſe geſſit, diſputatione ea, quam quinta Febr. habuit publice pro gradu doctoratus in Jure, diſputatione itaque mox totius ſummo conſenſu ſenatus judicatus eſt digniſſimus, qui ſuprema hac laurea ornaretur. Mi Fili, ſcis Horatii illud:

Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.

Dionyſius in Arabicis tralationem aliquorum meditatur. In Oratoriis meis nihil præter Indices & præfationes ſupereſt. Mag. Bodecherus eſt Ethices Profeſſor, & cum laude docet: Mi Fili iterum tibi ingero illud Venuſini vatis:

——— *Mihi turpe relinqui eſt.*

Scis enim Adoleſcentem hunc te juniorem eſſe ætate, æque ac fratrem, ut alios mittam. Sed pluribus non urgebo, ne videar diffidere. Deus te magis magiſque Spiritus ſui robore firmet, ut ſenectuti parentum ſolatio, familiæ integræ ſis honori, parvulis etiam meis (ſi me Deus ex hac vita evocarit) conſilio

auxi-

auxilioque proſis, imo parentis vicem ſuppleas. Ampliſſimo Domino Procancellario, atque aliis noſtri amantibus præclare de me nuper meritis, deque te merentibus ſalutem meo nomine plurimam dicito. Lugd. Bat. clɔ Iɔ cxxx. xiv. Febr.

Tuus pater

Ger. Jo. Vossius.

EPISTOLA XXXII.

Viro Clariſſimo

D. CASPARO BARLÆO,

cognato ſuo

PETRUS CUNÆUS. S.D.

Amſtelodamum.

Vir clariſſime & cognate amiciſſime.

RECens poëmatum tuorum editio, quam ad me miſiſti, longe elegantiſſima eſt: neque poteras melioribus typis eam evulgare.

Quare pro iſto munere tuo gratias tibi ingentes ago, majores etiam habeo. Memini ſpem nobis à te factam olim fuiſſe de Sexto Empirico. Quem ſi adornare cœperis, rem aggredieris præclara tua indole digniſſimam. De Salmaſio eadem mihi ſignificaverat vir nobiliſſimus, à quo tu hæc accepiſti: ac mox etiam ille ſcripſit mihi omnia iſta iteratis Pariſienſium literis confirmari, ac vehementer pleroſque illic mirari eſſe in curatorum numero hic aliquem, qui iſta ignoret. Quid futurum ſit, divinare nequeo. Res enim nondum penitus confecta eſt. Quod ſcribis eruditorum hominum majorem è longinquo reverentiam eſſe, domeſtica autem & quæ ad manum ſunt, vileſcere, ac minus æſtimari, vitium eſt non unius ſeculi. Quid tamen Academiæ profuerit inſignem virtutem præſentium conculcari, ipſe tu exemplo eſſe poteris cum Cl. D. Voſſio, poſtquam ambos vos amiſimus. Neque hanc jacturam reſarciet Salmaſius hac lege accerſitus ut vocem ejus nunquam excipiant, ſubſellia publica. Opus eſt viva diſertaque dicentis oratione ut eximias artes & diſciplinas capeſſat audientium ardor. Si decem Salmaſii Amſterodamum ad commentandum ſcribendumque, non ad docendum vocati fuiſſent, nunquam vobis litem moviſſet magiſtratus Leydenſis. De induciarum

rum aut pacis ſpe utinam verum ſcriberes, Ego neceſſitatem quidem & utilitatem video ſummam: at affectionem & ſtudium quorundam, qui conſentire debent, non video. Metus, neſcio quis, & ſpecioſa tergiverſandi cauſa obtenditur: veram autem rationem neque ego ſcribam, & tu facile intelligis pro prudentia tua. Vale cognate cariſſime, & uxorem liberoſque meis verbis ſaluta. Lugduni Batavorum 22. Julii 1631.

Si per has ferias me inviſeris, rem mihi facies gratiſſimam jucundiſſimamque. Iterum vale.

EPISTOLA XXXIII.

Clariſſimo & amiciſſimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

cognato ſuo,

PETRUS CUNÆUS. S.D.

CLariſſime cognatorum & conjunctiſſime. Literæ tuæ, quas 14 Februarii ad me ſcripſiſti, meis binis reſpondebant, nullo autem

tem egebant reſponſo meo. Quare ſilui aliquamdiu. Nunc cum magno meo dolore ex aliorum ſermonibus rumor eſt te valetudinis cauſa à publicis lectionibus abſtinuiſſe. De qua re dum curioſius ſciſcitor, omnes omnia præclara & honorifica de lectionibus tuis referunt, ſed addunt amici tui te, neſcio qua animi triſtiore cogitatione, credere non eſſe te muneri iſti parem. Equidem ego vehementer gaviſus ſum cum nihil aliud cauſæ ſubeſſe audio. Nam & ſanguinis melancholici motibus quibuſdam eam opinionem ante 9 annos tibi obortam eſſe, & mox brevi receſſiſſe ſcio. Id vitii magnis & divinis animis ſæpe adhæreſcit. Sed ipſe noviſti, novimus omnes, qui te amant & æſtimant, poſſe hoc, quidquid eſt, ratione & conſilio vinci, quod tandem etiam ſine ratione aut conſilio vincet dies & temporis exigui decurſus. Quid autem eſt, mi cognate, cur quod longinquitas temporis minuet atque molliet, id non præripere prudentia tua malis? Noli te oblivisci Barlæum eſſe, & eum, à quo alii petere præcepta bonæ mentis ſolent. Res nimium te indigna eſt, exſpectare à tempore medicinam, quam ſtatim repræſentare ratio poſſit. Quare vehementer te rogo, ut huic rei ſapientia tua occurras, atque ut ne deſis tibi, lectiſſimæve matronæ uxori tuæ, aut ca-

cariſſimis liberis tuis, amiciſque omnibus. Quid eſt, quæſo, cur te publicis lectionibus ſufficere Amſterodami non credas, cum ante multos annos in Academiæ Leydenſis ſubſelliis tam præclarè rem geſſeris? An res majores & eruditis auribus magis dignas Amſterodami conari debes? Innata tibi eſt admirabilis dicendi facilitas. Et quæçunque in illa philoſophiæ parte tractari apud adoleſcentes debent, etiam aliud agendo exequi ſoles. Crede modò te poſſe, &, ſupra quam ſatis eſt, poteris. Non eſt opus ut de veterum Philoſophorum celebrioribus ſectis Academica, Stoica, Epicurea, Peripatetica, ex ultima antiquitate cum magno labore multa arceſſas. Dic quæ ex Ariſtotele tuo ſemper tibi in labiis oberrare etiam ſomnianti ſolent, & omnium expectationem implebis. Moleſta res eſt nimium molimen. Majore cum fructu Juventus capiet quidquid obviam & familiare tibi eſt. Hæc tibi ſcribenda duxi pro jure amicitiæ noſtræ. Et pro eodem jure ut mihi reſpondeas, peto. *Nunquam hodie effugies;* noſti cætera. Ego, quiſquis erit rerum tuarum ſtatus, quæcunque fortuna tua tuorumve, ſemper omnia & dicam & ſedulo faciam, quæ ab homine tui amantiſſimo exſpectari poterunt. Vale, vir clariſſime. Lugduni Batav. 9 Martii 1632.

EPISTOLA XXXIV.

AD

PETRUM CUNÆUM.

Vir ampliſſime, & cognatorum chariſſime.

HAſce literas mihi invito & jam prorſus inerti extorſit uxor. Tanta enim jam animo meo inſedit triſtitia, ut pigeat & pudeat ad amicos & nominis mei ſtudioſos reſcribere. Incidi miſer in melancholiam, illâ qua ante annos IX. laboravi multò graviorem. Nimiis me primum ſtudiis fatigavi, hinc obſtructionibus laborare cœpi, hinc quæ facilia antè difficilia viſa ſunt, tandemque neſcio qua puſillanimitate cœpi mihi prorſus diffidere, ſenſique me imparem ferendo huic oneri. Hac imaginatione obrutus jaceo, ſedeo, penè mutus & elinguis, excors prorſus. Et cum miſera familiæ meæ ſors animum ſubit, vix ſum meus. Ita qui fortunatiſſimus fui, jam miſerrimus mihi videor. Rationes quibus me erigis, etiam ſic à viris cordatis indies objiciuntur. Non ſum is, mi cognate, quem me arbitraris eſſe. Vana ac ſtolida perſuaſione provinciam hanc ſuſcepi. Sentio aliud

aliud eſſe privatim, aliud publicè docere. Non eſt mihi ea animi præſentia cum publice docendum eſt, quæ adeſt privatim docenti. Quin tanto jam quoque metu obſeſſus ſum, ut ne quidem ad privatam lectionem redire audeam. Valetudo afflictior eſt ex animi dolore, imaginationibus, etiam medicamentis. Somnus gravis & interruptus, totaque corporis œconomia turbata. Unicum ſupereſt præſidium in ſummi creatoris miſericordia & omnipotentia repoſitum. Is me alias ex ſimili malo expedivit, ſed lentè. Scis enim morbos illos diuturniores eſſe. Ego me familiamque meam precibus tuis, mi cognate, commendo. Non eſt animus ultra ſcribere & tragicum hunc ſermonem mihique moleſtum proſequi. Videbis facile ex dictione, ex lituris, quo fuerim animo cum hæc exararem. Concidit priſtinus vigor corporis & mentis. Adſtabat uxor, cum hæc ſcriberem, calamumque penè direxit. Faxit Deus, ut aliquando lætiora & accuratiora ſcribam. Jam non poſſum meliora dare. Vale vir clariſſ. & chariſſ. uxorem liberoſque ſaluta, quos officioſe ſalutat uxor liberique mei. *Quondam etiam afflictis redit in præcordia virtus.* Amſtelod. XII. Mart. CIϽ IϽ CXXXII.

Tui nominis cultor ſummus

CASPAR BARLÆUS

cognatus tuus dilectiſſ.

EPISTOLA XXXV.

D. STEPHANO GOFFE.

NOn dubito, Vir Clariſſime, quin literas meas una cum Commentario meo in IV Evangelia, & duobus tractatibus Talmudicis D. Cochi, die veneris ad te per nautam datas acceperis. poſtridie à D. Walæo accepi quid in negotio veſtro actum ſit, nempe ante allatum Liturgiarum Librum *latum jam fuiſſe Profeſſorum judicium, & ad Ordines perſcriptum, cujus argumentum breviter ſit, iniquam ſibi videri Epiſcoporum Anglicanorum authoritatem tantam, ut ſua ditione valere patiantur Ordines, ut ex eorum præſcripto Liturgia Anglicana hic locorum introducatur. De cætero intactam ſe ipſam Liturgiam relinquere, neque ullatenus ſe hoc ſuo judicio ei præjudicatum velle.* quod jam die ſabbati elapſo ad te perſcripſiſſem, niſi eo die dolor colicus ex abundanti bile me corripuiſſet, qui ſequenti nocte me propemodum extinxit, & vero extinxiſſet niſi ſecundo adhibito enemate per Dei gratiam fuiſſem adjutus: jam meliuſcule habeo, Deo laus, quem ut tu ſimiliter

liter quam optime valeas etiam atque etiam precor. diſce ex Pſalmiſta, סוד יהוה ליראיו ובריתו להודיעם & vale cum Ampliſſimo D. Boswello. datum Lugd. Batav. 28. Martii 1633.

Tuus quantus quantus

LUD. DE DIEU.

EPISTOLA XXXVI.

C. BARLÆO V. C.

QUæ de Mimis per literas nuperrime ad te, ornatiſſime Barlæe, miſſas commonuit ocellus ille Italiæ ſuæ Dominicus Molinus, ex verbis ejus Italicè ſcriptis, cum tibi iſtis diebus adeſſem, coram intellexi; & nunc quoque ex literis ad me tuis, quibus eadem illa illuſtris viri verba Latinè reddita inſeruiſti, iſta ſcilicet:

Vellem videre ſubjectum aliquod egregium poëſeos ridiculæ ſive mimicæ; & ſpeciatim, quæ ad ejus hiſtoriam ſpectant. &, num aliquâ vel Græcorum vel Latinorum autoritate probari poſſit, mimos conſcriptos formâ nar-

rativâ, uti conſtat ſcriptos ordinariè formâ dramaticâ.

Quod prius ſpectat, mimi mimorumque hiſtoriam, non quidem fuſè, accuratè tamen ſuccincteque exſequutus eſt inter recentiores Julius Cæſar Scaliger Libro poëtices, qui & hiſtoricus dicitur, primo, capite decimo; ac deinceps libro eodem, cap. 18. Macrobius quoque noſter, inter antiquiores, de Laberio Publioque mimis initio ſtatim ſecundi Saturnaliorum ejuſmodi intexuit, quæ haud parum lucis talium ſtudioſis fœnerare poſſint. De cætero, quod ipſos mimos eorumque formam attinet, Latini modo mimos, modo planipedes dixerunt. Planipedes ob id, quod cothurno tragici, ſoccis comœdi pedes induerentur; ipſi nudis pedibus, vel ut aliis placet, in plano orcheſtræ partes ſuas agerent. Vetus commentator Juvenalis ex editione Pithæi ad Satyram octavam *Planipedes* interpretatus eſt *Neaniſcologos;* quod cum olim minus caperem, in notis noſtris Macrobianis, legendum cenſui, *Nealeſcologi*, à Græco λέσχη. verum Neaniſcologi à νεανίσκος, quod juvenalia & adoleſcentiæ placentia tractarent, dicti fortaſſe. Quin & dies unus Saturnalibus à Caligulâ additus legitur apud Suetonium Juvenalis dictus. erant vero mimi vel vocales vel tacentes. Horum forma

omnis

omnis erat dramatica. Qui voce ſimul utebantur, duplicem ſuſtinebant perſonam. Nec ſpectabantur tantum hi, ſed & audiebantur. Et hinc Juvenalis Sat. 8. *Planipedes audit Fabios*. Meminit talium Lucianus inſuper Libro περὶ ὀρχήσεως. ubi & mutos mimos itemque verba facientes adducit, & inter hos memorat, à Nerone Romæ productum unum, præſente Regio quodam Legato; eumque ubi agentem legatus vidit, nec tamen intelligeret loquentem, ex ipſo tamen geſtu ac ſaltationis modo ſingula accurate percepiſſe. Et addit Lucianus, Legatum eundem, cum ſibi donari ſaltatorem eum flagitaret, interrogatum à Nerone, cui rei eum poſceret, reſpondiſſe, eſſe ſibi vicinos Barbaros linguâ diſpares, apud hos, loco interpretis, ſingula innuendo, eum ſibi uſui fore. Refert & idem Samoſatenſis, alium quempiam, qui cum unus quinque perſonas egiſſet, hanc laudem à ſpectatoribus retuliſſe, ut plures in uno ejus corpore animas habitare dicerent. Verum ejuſmodi narrationes ac vocalitatem, quæ ſuperius jam indicata, ſive carminum modulos à mimis inter agendum uſurpatos an intelligat illuſtris Molinus verbis, quibus quærit *an mimi conſcripti formâ narrativâ* ampliare ſententiam, tuamque Barlæe eruditiſſime, exſpectare conſtitui: hoc obiter coroni-

ronidis quaſi vice adjiciens, uſurpatam præterea iiſdem reperiri non minus miram quam ridiculam mimeſin, quæ μορφασμὸς dicta. Hac Protei in morem ita ſe convertebant, ut omnium literarum facies repræſentarent, idque tantâ ſolertiâ, ut etiam componerent dictiones; de quo videbis uberius apud Cæſarem, quem dixi. Habes, mi Barlæe, quam petiviſti, Symbolam noſtram. Nunc lampada tibi ſume; ac vale, ſalutatus quam diligentiſſimè. Hardervici Gelrorum XIIX. Maji. Stilo noſtro 1633.

T.

JOH. ISACIUS PONTANUS.

EPI-

EPISTOLA XXXVII.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro

D. CORNELIO vander MYLE,

Equiti, Domino in Myle, Dubbeldam, Bleskensgrave, &c.

Hagam Comitum.

Vir Nobiliſſime.

EUnti Hagam Manaſſi Ben Iſraël, & à nobis id petenti, literas ad te negare nequivimus, quia ſcribendo bene de Chriſtianis meritus videbatur: & ita quidem ut optandum ſit, Judæorum reliquos tam utilem Chriſtianis operam impendere. Nam cum res & valde illuſtris, & gravis ſit conciliare ſcripturæ loca ſpecie pugnantia, quomodo potuit homo Judæus melius de Chriſtianis mereri, quam colligendo, & unum in opus transferendo, quidquid olim omnes Hebræorum doctores ſcripſere? & quia homines Judæi minus grati noſtris eſſe ſolent, id unum optaverimus, ut favore tuo eum proſequi, Vir Nobiliſſime, velis, & efficere, ut alii quoque in

in conventu Illuſtr. DD. Ordinum ejus habere rationem dignentur. Quod eo facilius obtineri poſſe ſperamus, quia & ipſe vitæ integræ vir eſt, & procul à malignitate aliorum ſuæ religionis, quippe qui nuſquam Chriſtianis in ſuo opere inſultet: quique ob candorem, & diligentiſſimam S. Scripturæ ac Rabbinorum lectionem non nobis modo, verum & multis præclaris ac præcipuis hujus urbis viris, ſit gratiſſimus. Amſtelodami VII. Septembr. CIↃ IↃ CXXXIII.

N. T. addictiſſimi,

GERARDUS JO. VOSSIUS.

CASPAR BARLÆUS.

EPI-

EPISTOLA XXXVIII.

Ampliſſimo doctiſſimoque Viro,

D. JACOBO PETITIO J. V.

Doctori & Advocato

CASPAR BARLÆUS

S. P. D.

GRatias tibi ago maximas, Vir Ampliſſime, quod anni mihi primitias conſecraveris. Liceat modò dicere: Quid meruiſtis oves, placidum pecus? Si viveret Pythagoras, quàm indignaretur Tibi & mihi. Tibi, inquam, cujus juſſu imbelle illud animal, innocentiæ ac ſimplicitatis ſymbolum, mactatum fuit crudeliter. Mihi, ut qui auſus fui viſcera in viſcere recondere, & ſanguine paſcere ſanguinem. Lege orationem Pythagoræ apud Ovidium contra animalium eſum, & Plutarchi de eodem argumento diſcurſum. Fortè diſces ſolis herbis veſci, & malva, beta, lactuca, ſimilibuſque contentus eſſe, quarum anima non eſt in ſanguine. Me quod attinet, abſolvo te à reatu. & ubi

ubi animalium cauſam dicet aliquando redivivus ille Samius, habebis me facti tui patronum. Tempeſtivè & opportune miſiſti munus tuum, ut videri poſſis bis dediſſe Tempus enim eſt, ut cum puerpera redeam in gratiam. Nos armo iſto ovillo cœpimus placare difficilem, more veterum Romanorum: qui cæſâ jungebant fœdera porcâ. Fui per triduum Hagæcomitis, evocatus ab Illuſtriſſimo Oxenſternio Legato, qui lachrymas meas, quas ſuperiore æſtate in obitum Regis Guſtavi effudi, abſterſit aureo ſindone. Sanè hæc ex Aquilone tempeſtas non fuit mihi gravis. Expediet Reges ſic mihi ſæpè mori. Ne verò putes me eſſe ex ordine accipientium & non dantium, accipe ἀντίδωρον, munus Hiſpanienſe; ut videas quo ſtatu ſint res meæ, cui iſtiuſmodi capſulas mittunt Luſitani. Optem audire, uxorem tuam feliciter peperiſſe, ne ſolus ego aut beatitudine iſta aut miſeria fruar. Vale amicorum integerrime & duriſſimis temporibus probate. Amſtelod. XXII, CIϽ IϽ CXXXIV.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

Incomparabili Heroi

HUGONI GROTIO,

de omni Eruditionis genere ſumme merito, Domino & Fautori magno.

Hamburgum.

Nobiliſſime & Magnifice Domine,

POſt tot experimenta ſemper ſimilis ſibi Humanitatis Tuæ religioni mihi erat dubitare amplius, *an migrarem modeſtiæ fines*, ſi inficetis litteris Tuam Magnificentiam inquietarem, & ſtudiis noſtris porro ut factum velis peterem. Ut enim antidhac juſtus ille metus ab auſu ejuſmodi manum abſtinuit, fore, ut indignaretur Magnif. Tua ſpei ſuperbæ, qua reſponſum breve inter magnificas plurimas occupationes exſpectarem: ita aliam *nunc mentem dat divinarum Virtutum Genius, qui magnum animum non cum faſtidio, ſed incredibili affabilitate miſcuit. Tribunorum olim plebis, quæ ſanctiſſima apud Romanos poteſtas erat ſalva Republica, noctes dieſque populi ad ſubſidium ædes patebant.* Sic

Magnif. Tui aditum permiſit mihi & aliis, quicunque *ſeveræ artis fructum ſectantes adverſus barbariem, qua involvimur*, & ſtudiorum remelligines conſiliis & indagare & juvari deſideramus. *Quo quidem ſemper timide, ut in religioſis decet, ſum uſus*; nunquam tamen ſine magna voluptate imo utilitate, *nunquam non doctior factus*, ſive de meditatis ad Magnif. Tuam referrem, ſive erenata ſuggereretur occaſio diſſerendi. Quale illud nuper de Satura, oraculi vicem mihi acceptum. Nec tamen poſſum, quin removeri poſtulem unicum adhuc, qui me impedit, ſcrupulum. Videtur enim originem Græcam probare vox Satyricon, quomodo Petronius & Martianus ſua inſcripſerunt, & litteris & terminatione Graja. Ut Satyricam levitatem Auguſtinus de Civ. Div. alicubi & alii. An ergo Saturicus & Saturicum ſcribenda, damnanduſque antiquitatis conſenſus? an vero iſtam finitionem non ipſorum auctorum, ſed Grammaticorum, dicendum? Sed has curas inter parerga & lucrativas operas jam habere certo conſtitui, & Juris Civilis cognitioni ſerio, quod nec T. Magn. diſſuaſiſſe aliquando memini, me dare. Cujus principia, ut ea ab Imperatore ſacratiſſ. in Inſtitutionibus comprehenſa ſunt, ſemel iterumque legendo pervaſi: in difficili autem

di-

divortio ſtiti aliquandiu cœpti itineris greſſum, ex quo T. Magn. levi brachio liberare me poſſe & velle confido. Sunt in viris doctis & hanc artem multorum judicio doctiſſimis, qui quotidianis diſputationibus; quem morem in Academiis ubique invaluiſſe noram, exercendos ſtudioſos putent, & in hanc rem Treutleri & aliorum theſes in manus tradant: Sunt qui maligne hoc genus traducentes nihil præter Vegelii opera commendent & illorum lectione utilius & felicius contineri nos æſtiment abſtinendo ab iſtis, quæ maximam partem ingenii ſint luſus, & ubi magis de veriſimilibus, quæque ἐξεταστικὴν acuant, quam Juris tyronem inſtruant, cernatur. Scire velim ante natos illos, qua via tam arduum iter aggreſſi ſint Viri magni, & an ad alterutrum harum neceſſario alligandi ſimus. Etenim verum quotidie experimur, non in ominibus, in quibus diſputantes fatigantur, ad verum ſcopum eos oculum collimare, quorum tamen examini non paucorum controverſorum deciſio deberi ſe fateatur: Et illæ Vigelii regulæ, exceptiones, replicæ, duplicæ &c. vix videntur ſine generica aliquali Juris cognitione utiliter adiri, ne dicam multa ibi ex nuda Dd. opinione inculcari, quæ diſcernere ſatis expedite à κυρίαις δόξαις & certiſſimis legum axiomatibus non queat, qui illarum

ſilvam non prius ſit pervagatus. Taceo alia; quibus utriuſque veluti ſectæ acies defenſores ad partes nos vocant, Tuæ Mag. longè procul dubio quam mihi notiora. Ita *compendifactis aliis*, Tuam Mag. oro demiſſe, ut Tuum de hiſce judicium, deque vera, optima, regia via arcem illam Auguſtæ divæ invadendi, ſententiam, *breviter & rotunde, qua præcipue ſupra omnes quæ ego unquam eruditorum loquentes audivi, dexteritate polles.* perſcripta videam. Sic Mag. Tuæ levi opera maximum mihi beneficium præſtandi materiam plenus bonæ ſpei obtrudo. Eandem cum omni familia Summi Numinis protectioni fideliſſime commendans. Scripſi Lubecæ, ubi nunc velut in ſeceſſu dego, notus pauciſſimis, familiaris nemini aut duobus. VII Eid. Febr. Ad An. Chriſt. CIↃ IↃ CXXXIV.

T. Magnif.

ad omnem cultum ſervitiumque devotus, addictus

J. Fredericus Gronovius.

Si ei, qui has offeret, repoſcenti, aut M. Damckan T. M. reſponſum committet, bene ad me curabitur.

EPI-

EPISTOLA XL.

Clariſſimo & vere eximio Viro

D. CASPARO BARLÆO,

Profeſſori publico,

DANIEL HEINSIUS.

S. P. D.

Amſtelædamum.

Clariſſime & amiciſſime virorum.

* VIdes, quam mea intereſſe exiſtimem, ut me probem tibi. De Hiſtoria quam petis, ita habe. Tulit ad me Haga præſtantiſſimus Graswinckelius non totum opus, ſed ἀκέφαλον; ea lege ut Mylio τῶ ὄντων amiciſſimo, remitterem, cui à Molino illuſtriſſimo hac lege miſſum fuit, ut ſic obiter communicaret nobis. Ad quem ſcripſi, ut quam primum, ſi haberi poſſit, totum ad me mitteret. Homo enim admodum inpatiens, quæ placent, non libenter ex parte tantum lego. Ubi totum accepero, faciam, ut & ipſe, & Ampliſſimus Hoofdius, participes ejus mecum ſitis. Scriptum nihil minus quam contemnendum videtur, niſi cum partium ſtudio abri-

* Benevolentiæ teſtificatio.

pitur quo ſcripſit. quod in illo ordine nec novum, nec mirandum. Interim, ut videatis, quam feſtinem vobis placuiſſe, mitto quod accepi. Affirmare poſſum, qui divinas doctores tuas magis æſtimet quam ego, eſſe neminem. † Neque tam ἀναίσθητος in terris, ago ut ignorem quantum tibi debeam, qui toties præclara ſcripta tua, hoc eſt, raras gemmas, mecum inter alios communicaſti. Satrapam Muydenſem, olim colui, nec quicquam de judicio mutavi; quod experietur, cum occaſio ſe offeret. Ei interim ut me commendes, unice te rogo. ea lege, ut certo ſcias cum amicos recenſebis, in eorum numero, cui amoris conſtantia ac admiratione tui cedam, reperturum te omnino neminem. Nihil enim deprecor, qui ſemper dedi operam, ut & publice & privatim, ſi id impetrare poſſem, bene per me eſſet, tibi. Cujus rei teſtes plurimos laudare poſſum. Cæterum vel temporis calamitas, vel diſtracta hominum ex eo ipſo, judicia fecerunt, ut nunc eo careamus, cujus lucem ac ſplendorem huic Academiæ ereptum, ſemper dolui. Clariſſime vir vale, &, ut ſoles, me ama. Lugd. Bat. Anno CIↃ IↃCXXXIV. X Septembris.

Nominis tui obſervantiſſ.

DANIEL HEINSIUS.

EPI-

† Stupidus.

EPISTOLA XLI.

Illuſtriſſimo & Clariſſimo Viro

HUGONI GROTIO,

Reginæ Regnique Suedici Legato, Literarum facilè Principi.

Lutetiam.

Excellentiſſime Legate, & Patrone mi Incomparabilis.

TUas accepi, & ſummâ cum voluptate legi perlegique, ſed conſcius mihimet nihilominus de meritorum penuriâ, quæ mihi abunde ſatis ſuperque aſcribere candidus amor tuus, humaniori affectu prægnans, dignatus eſt: nec in tuis ad me ſolum cor tuum benevole aperuiſti, ſed tuis ad Reverendiſſ. Archiepiſcopum, ab ipſo theſauri inſtar habitis, abundantius vota, & deſideria amica effudiſti: ſic enim literis perlectis, mihi ſolatii magni loco, referebat illuſtriſſ. Præſul, à quo antehac reciprocas accepiſſes, ſi gravia quædam negotia non interveniſſent. Hoc mihi, tibi ſuo nomine ſignificare mandabat. condignas igitur ab ipſo gratias expectes, ſed

Digitized by Google

à me qui perſolvendo impar prorſus ſum vel dictis vel factis, non alia tibi promitte, quam quæ cor, & mens ſincera, te digna excogitare queat. Quæ hic tum in privatis tum in publicis agitantur, ſi grata fortaſſis tibi ſint non gravabor inſerere; D. Rivius advocatus Regius recens librum de re non vulgari, ſcilicet, hiſtoriam rei navalis edidit. Et Dominus Seldenus, qui te, ſi ullum mortalium, ſummo proſequitur honore, parat divulgationem libri qui diu latuit, de maris dominio; ex mandato Principis facit, nec tantum claſſe, ſed calamo pugnare decretum eſſe videtur; claſſis ad prælium fere parata, ſed liber nondum prælo datus: D. Junius Bibliothecarius Regius è cultoribus tuis non poſtremus in catenâ græcâ ſuper Job edendâ totus eſt; neque te celabo cum literarum bonum aliqua ratione ſpectet, me codices MSS. non contemnendos, ſed ut ϑήφαμα καλὸν ex German â advexiſſe. habes hic deſignationem ſchedulâ notatam; Unum denique reſtat de cujus notitiâ te maximopere gaudere certus ſcio. D. Anſtrutherus jam Exlegatus, ſi ita loqui licet, amplam ſatis fortunam nactus eſt naturæ non Regis dono; mortuo enim conjugis fratre abſque maſculâ prole poſſeſſiones & bona hæreditaria in ipſam deſcendere. Ulterius te à tuis negotiis non divellam. Vale vir

vir incomparabilis, & me amare ne deſiſte, qui ſemper maneo

Tuus in omni officio paratiſſimus cliens amicuſque

SAMSONUS JOHNSONUS.

Londini XXI. Maji. St. v. MDCXXXV ſi reſcribis, Oxonii expectabo Literas, hodie enim hinc diſcedo.

EPISTOLA XLII.

Clariſſimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

cognato ſuo,

PETRUS CUNÆUS.

S. D.

QUod pro neceſſitudine noſtrâ veterique amicitiâ fieri oportuit, factum à te abunde eſt, clariſſime cognatorum, cum me ſuper funere filioli mei ſolatus es noviſſimis literis tuis. Quo nomine gratias tibi ago maximas. Quod ſcribis apud vos incrementa ca-

pere peſtem, vehementer doleo: cum ſciam intereſſe Bataviæ noſtræ, ne porrò florere totius orbis commerciis veſtra deſinat civitas. Animadverſiones cenſoris Daventrienſis in epigramma tuum, quod Judæo Manaſſi Ben Iſraël ſcripſiſti, non vidi, & oppidò pauci ſunt, quibus inſpicere hic licet tam horribile arcanum. Sed tamen, ſi in vindiciis, quas mihi miſiſti, benè relata omnia criminationis capita ſint, næ ille potuiſſet ungues continuiſſe ab iſtâ prurigine. Ego, cum librum ſuum Amſterodami poſt funus cariſſimæ uxoris tuæ offerret mihi Manaſſes veſter, carmen illud, ut cætera tua omnia, cum voluptate legi, neque in eo quidquam reperi, quod eſſet Chriſtiano indignum. Sed nec amicorum meorum, hominum eruditiſſimorum, qui hic vivunt, & liberrimè mecum loquuntur, ullus fuit, qui aliquam hujus carminis partem diſplicuiſſe aut ſibi aut aliis dixerit. Enimverò ſciunt illi, ſcio etiam ego, ita te & vixiſſe & ſenſiſſe ſemper ut nec ſacram priſcæ & incorruptæ Eccleſiæ fidem, nec recepta pridem Chriſtianorum ſymbola temerare aut convellere ſtudueris. Quare vel illorum vel meâ cauſâ non erat opus iſtis Vindiciis. Et verò exiſtimant plerique ex præcepto Dei Dominique noſtri Jeſu Chriſti ad officium iſtius diſſertatoris pertinuiſſe, ſi quid illum

in

in tuis verſibus offendiſſet, epiſtolâ privatim prius te monere atque animi tui exquirere ſententiam, quàm te per omnium ora traducere publicè. Autorem omnes, quotquot audivi, & inter hos etiam Theologi, credunt eſſe Vedelium. Placet autem omnibus & mirificè laudatur ingenua illa in vindiciis & rotunda profeſſio, partium ducem aut ſectatorem te nec publicè nec privatim eſſe: Antitrinitariis faviſſe nunquam: credere te ſolâ fide in Chriſtum ſervari, quotquot ſervantur: de meritis & ſatisfactione Chriſti, & rurſus de impiorum morientium pœnis perverſa Socini dogmata minimè te ſequi: Ordinum fœderatorum decretis paruiſſe, neque aut patriæ tuæ, aut Eccleſiarum, quæ publicè vigent, turbare pacem. Equidem ego arbitror non modò ad ſtabiliendam ſed ad augendam etiam ὀρθοδοξίας tuæ gloriam criminationes iſtas anonymi præceſſiſſe: &, ſi quid forte in Scazonte tuo aſperè in convitiantem dixeris, totum hoc, quantumcunque eſt, dandum eſſe juſto dolori tuo. Vale, Vir amiciſſime, cum liberis tuis, quos verbis noſtris ſaluta. Lugduni Batavorum 21. Septembris 1636.

EPI-

EPISTOLA XLIII.

Illuſtriſſimo Domino,

HUGONI GROTIO,

Reginæ Sereniſſimæ & Regni Suecici legato ad Chriſtianiſſimum Regem Galliarum.

Lutetiam Pariſiorum.

Illuſtriſſime Domine.

QUas nono Julii ſcripſeras, eas demum IX. Octobris accepi à Vander-Burchio. Tantæ moræ cauſſa eſt, quòd eas literas cum erudito Philolai opere ciſtæ ſuæ incluſerat: nauta autem Rhotomagenſis, cui hanc commiſerat, tam ſerò appulerit. Heſterno die Hortenſio legendum Philolaum dedi: qui valde eo capitur. Ac Blauwius excudere eſt paratiſſimus. Idem excudere avet Ἀνθολογίαν tuam, ſed conditione hac, ſi placeant typi, quibus uſus in tuo de Jure Belli. Majores enim non habet. Maimonides filii τοῦ μακαρίτου poſt menſem, ut ſpero, editus erit. Excudun- tur & noſtra, de origine & progreſſu Idolo- latriæ. Ringitur Meurſius, quod poſt trien- nii moram necdum ſua orſus ſit Blauwius. Pror-

Prorſus ei injurius eſt: ſi non alio nomine, ſaltem inedita tot retinendo, eumque fruſtrando pretio eo quod ex dedicatione à magnatibus in Dania rediret. Salmaſius necdum reverſus: ſed ex Riveto intelligo, propediem affore. Aliud metueram. Sed gaudeo, quod nolit illis gratificari, qui in Galliis remanſurum ſperarant. In filio tuo nihil vel nos, vel alius hic deſiderat quicquam. Lues, quæ ſuperiori anno plus minus duodeviginti millibus Leidæ abſumſit, vehementer ſatis Harlemi hoc anno graſſata: minùs urbe noſtrâ, ſic tamen, ut ante menſem unum alterum de hebdomade tolleret ſupra ſexcentos: nunc longè remiſit. Siquidem intra idem ſpacium infra trecentos amittimus. Heinſius, ut ſpecimen oſtenderet obſervationum ſuarum in Novi Inſtrumenti libros, philyram excudi curavit. Sed nondum contigit videre: nec ſuper eo laboro. Subinde fallor: ſed vix arbitror illud hic fore. Jam ſexennium eſt, quod paratum ſeſe diceret ad editionem. Si eſt, qui fuit, non intra alterum ſexennium id erit. Præclarum eſt ingenium, ſed à majoribus ſtudiis ad tantam rem non ſatis paratum. Sed ipſe viderit. Nihil mihi hîc ſeritur, aut metitur. Minus malignus eſſet: amore eſſet digniſſimus utriuſque noſtri. De iis, quot ad Remp. hanc pertinent, quid ſcri-

ſcribam? Aliunde illa meliùs, potiſſimum ex affine Reigersbergio cognoſces. Illuſtriſſimæ dominæ, conjugi tuæ ſalutem à me, & meis, uti & optimis liberis. Amſtelodami. Prid. Kal. 10. Decembris.

Illuſtri nomini tuo addictiſſimus.

GER. JO. VOSSIUS.

EPISTOLA XLIV.

Clariſſimo Doctiſſimo Viro

D. CASPARO BARLÆO,

CONSTANTINUS HUGENIUS.

S.

SI Meteorologiam meàm, ambitioſè nomini tuo nuper inſcriptam, nondum accepiſti, minus damni eſt, quam ſi te tineæ ad cœnam vocaverint, raptum alio ex condicto, Mudam puta, vel ad Voſſium, Wicquefortium, Bakium, aut Vondelium, *omnis homines, qui ſe præſtare ſtudent cæteris animantibus.* Et ſi quid ſanè Tabellarius

ſa-

ſapuit, jam in Myropolio legor gravis autor, *vel turis piperiſque ſum cucullus*, *vel ſcombris tunicas dedi moleſtas*. Sin tradidit hic illuſtres paginas, Barlæe mi, facinus, mehercule, te dignum facis, & ſacri Codicis non immemori lectore, qui *ſtulto non reſpondeas in ſtultitia ſua*. Anonymum ſi ſic excepiſſet, dubitare poſſem, an non melius tibi conſultum eſſet; niſi obſtarent, quæ notaſti obiter, multi ponderis argumenta quibus cum accedant herculea illa, quibus, laceſſite pugil, amentem jugulaſti, atque adeò merentem, (ut qui in ſacris, quæ profiteri fertur, voluit videri non legiſſe τὸ, μεταξύ σȣ ϗ αὐτȣ͂ μόνȣ) aſſero, & fatentur omnes boni, interfuiſſe tua, & amicorum, ne hoc impune ferret. Proſtrato, mihi denique illudere libuit, & *Leonem*, ut apud Senecam eſt, *ſabulâ impetere*. Facit huc Epigramma, quod in capite invenies nonnullorum, quæ his addidi ejuſdem farinæ. Si inſpicere ſingula dignaberis, in caſtris, vel itinere omnia memento nata. excepto uno, quo Realium alloquor, eximium, ut noſti, virum, qui nunc ingentis rei, & ſuâ curâ dignæ, procurationem obit. In illo, & cæteris, futilis venæ meæ genium agnoſces. quo cum delectari te tamen, pro humanitate tua, profeſſus ſis, etiam hoc ære, nomen aureum, quo me obligaſti, diſſolvi patere.

tere.

tere. Loquor nunc de tot ſelectiſſimis deliciis, quibus tu me partim, partim tuo nomine, cujus ille verax & perpetuus præco eſt, Wicquefortius impertiit. Inter illas quoties attentionem paſco, repeto ejuſdem Senecæ luculentum illud, & ſubacto Aulico, an ſubtili oratore, dignum: *quocumque*, ait, (neſcio nunc quo loco) *oculum miſeris, id tibi occurrit, quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur.* Nobilis & arguta laudandi ratio. At, Amice, ſi te legat, ne hac quidem ſibi ſatisfaciat. de me, ut porrò ſilere pergas, ſincerè poſtulo. Placet merenti pæna, præ encomio, quo me in ruborem agis; dum anguli nimirum acuti cum obtuſo comparationem longè venuſtiſſimam præpoſterè nobis applicas. Rurſus in verba Senecæ impingo. Acumen epigrammatibus meis adſcribere voluiſti. Audi philoſophum, cæteris, ſi quid video, extantem, quantum de cupreſſo inter viburna ſcriptum eſt: *Acuta*, inquit, *ſunt iſta quæ dicis. nihil eſt acutius ariſtâ: quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas reddit.* Hac ariſtâ, quaſi virgulâ, crede, mi Barlæe, ſæpius me caſtigo; & ſi quid caſu opportuni excidit, quod, *nondum refrigerato inventionis amore*, plauſum inventori eripiat, aliundè me in ueor, &, numquid me, inquam, induo in *artificii veternoſiſſimi nodos?*

dos? Sed hæc Senecæ item, ni fallor, dictio eſt: Niſi finem facio, totum hodiè recitabo. Neque enim diffiteor, perpetuò mihi obverſari ſapientiſſimum mortalium, cujuſque unius gratiâ laxius otiari optem, quàm nunc per iſtud licet, quo mihi *cum officio luctandum eſt, quia ſemel recepto.* Neque enim fefelli, cum in Caſtris me quàm denſiſſimis occupationibus diſtrahi clamavi, & hâc non nihil veniæ apud literatos promereri. Solo ultimo bimeſtri invenio, & ſtupeo, & indignor, ſcripſiſſe me vario ſermone ad CCXVII. epiſtolas privatas. Adde rotam Ixionis, &, quàm eo loci res publica me exerceat, expende: Judicabis quàm anguſtè tot epigrammata ſederint: per quas rimas emiſſa gracilitate ſuâ nimirum punxerint, ut de ariſta dicebamus. Sed, licetne, inquies, per doctorem, cujus tu in verba juraſti, *epiſtolæ, ſiniſtram legentis manum implere?* Sanè ſi tertiam invenias quam ab innocenti ſervo ſenex Aulularius popoſcit, jam occupata ſit. Neque occupatior me tamen; qui & iſta me nugari teſtor inter, non auſim queri, quot avocamenta. Vale tamen vir doctiſſime & vel hac etiam de cauſa ſile, ut ſic loqui deſinam. In Piſtrino meo, Aula Principis, CIↃ IↃ CXXXVI.

EPISTOLA XLV.

Viro Ampliſſimo & Incomparabili

HUGONI GROTIO.

Lutetiam Pariſior.

RESponſi hujus tarditatem excuſarem, Vir Ampliſſime, (neque enim deeſt quod juſtiſſimè cauſſari poſſim) ſi tua tantum intereſſe putarem, quid rerum agam, ut memor tui vivam, intelligere, quantum publicè intereſt, omnium tuarum horarum tibi probe rationem conſtare. Iratas Muſas ſemper habeam, niſi nunc quoque, cum te cogito, religio ſit literis te meis vel tantillum interpellare. Sed cum inter cæteras virtutes tuas ſingularis emineat (quod jam non uno argumento didici) benignitas, ne intempeſtivâ cæterarum reverentiâ hanc (cui Tu tantum tribuis) minus advertiſſe videar ipſe, eâque vel eo nomine indignus; hujuſmodi ſermones in poſterum miſſos faciam. Gratam tibi fuiſſe qualemcunque obſervantiæ erga te meæ ſignificationem, quam affini tuo, chariſſimo Reygersbergio, teſtatam eſſe ſtudui (& teſtatior certe fuiſſet, ſi mora ejus hic lon-

longior) valdè gaudeo. At quòd tantillum officium tu tanti facias, quanti facere te teſtes humaniſſimæ tuæ literæ, non id ſane meriti eſt mei, ſed tuæ ſummæ benignitatis. Non ea eſt mea conditio (quæ tamen fortaſſe aliquanto amplior eſſe potuiſſet, ſi id ego agerem) ut magna polliceri poſſim. At hoc unum ſanctè & ex animo polliceri poſſum, adeo me quicquid ego ſum, tuum eſſe, ut beatiſſimum me crediturus ſim, quoties ita feret occaſio, ut aliquid quod tibi gratum ſit, agere poſſim. Quod ſi qui erunt deinceps è tuis, quibus has terras luſtrare, aut linguam addiſcere (aut ſi quid aliud hic eſt, quod iis ignotum non eſſe è re ſit ipſorum erit animus, offero tibi meas ædes libentiſſimè, quamdiu erit ipſis commodum; imo niſi unius ſaltem menſis hoſpitium mihi concedant, (ſi nihil quod obſtet) ægerrime me laturum tibi prænuntio. Reverendiſſimus Archiepiſcopus (cujus video te libenter meminiſſe in tuis gaudeoque) idemque Dominus meus ac patronus indulgentiſſimus non ceſſat (inter tot ac tantas Eccleſ. Regnique curas) de literis apud nos novis quotidie conſiliis beneficiiſque benè mereri. Haud facile credas quantam vim MSS. omne genus, Orientalium, Græcorum, Latinorum ex plurimis non Europæ modo, ſed & Aſiæ locis

maximis, operâ & ſumptibus conquiſitorum & congeſtorum, in publicam Oxonienſis Academiæ Bibliothecam nuper contulerit. Idem & prœla & novos typos Græcos (nam hactenus rarus eorum in Anglia uſus) Londini provideri curavit, ad multorum veterum Græcorum Codicum, qui hactenus lucem non viderunt, & à multis ſeu vertendi ſeu tranſcribendi ſuſcepti ſunt, editionem. jam Theophylactus in Epiſtolas Græcus, tanquam primitiæ futuræ (σὺν Θεῷ δ' εἰπεῖν) ſegetis, ante plures menſes ejus auſpiciis excuſus prodiit. Etſi non poteſt, quin jam pridem exemplaria Lutetiam pervenerint, ut jam ſerum ſit ad te mittere, haud tamen abs re facturum planè credidi, ſi Bibliopolæ Londinenſi mandarem, ut unum ad te curaret, ea nimirum conditione, ut ſi jam tu unius es compos factus, iſtud ad Reygersbergium meum meo (bonâ tuâ eſt veniâ) nomine perveniat. Vale vir ſumme, & amare perge,

Tibi deditiſſimum

MERICUM CASAUBON.

Cant. VI. Kal. Apr. 1637.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

CASPARO BARLÆO V.C.

atque Eruditiſſimo.

ACcepi, Barlæe doctiſſime, Epigramma nobile tuum, quod Georgius Iraem vir abſolutæ Matheſeos, ac mei amiciſſimus ad me properandum curavit; de quo ſileamne, an gratias agam adhuc dubito, cum hinc gratiarum modus haud ſatis idoneus queri poſſit, unde metus ne videar frigeſcere; inde re ipſa magnitudine ſui totum mihi pectus, totum animum mancipat; magnitudine, inquam, nec pœnitet, cum verſibus illis quæſitiſſimis, ac doctiſſimis tantum à te mihi fuerit collatum, quantum nec aſſequi à Regibus poſſem, gratioſiſſimum nempe calculum, quo de rebus meis ita cenſes, ut feras ad ſidera. En ſi non Menippus, neque Icarus meis, id eſt caducis, tua ſaltem penna ſublatus ſublimi feriam ſidera vertice. Jam in ephemeride, quam laudas accepti debitor, ni malim lucro apponere, beneficii Tibi rationem conſigno. ô aureum Epigramma! ſiccine pro ignoto Tibi Amico penetralia Parnaſſi ſubiiſti, momordiſti laurum, ut me cæleſti aulâ, quamvis

poëtice loquaris, dignum judicares: cum interim tu cæleſti illo tuo ingenio ſi non immortalium aulâ, immortalitate ſaltem me laudando tam nectarea laude donaveris: durabit nempe tuum hoc monumentum, durabuntque cuncta, quæ literis tradis. Abſit adulationis periculum, quandoquidem de omnibus ſcriptis tuis loquor, tu ſeculi noſtri verus Poëta expergefacto Latino carmine vel cum Veterum invidia canis, noſtramque ætatem, quod objicimus antiquæ, unus facis non ingenio deterior illâ, non genio ad ſcribendum, niſi quod Satyricus ait, propter mille annos. Admiror beatitatem procurrentis carminis, admiror ſuo loco electam dignitatem, quibus exundantibus tu Carmina pangis:

Nunc charitas complexa Lyrâ, nunc grandia torris
Verba intorta ſonis, & plenos gorgone verſus.

Sed ſane non Tibi ea me ſpes, ut ad mercaturæ tamquam verſuram laudem pro laude cogites, quando conturbem opus eſſet ſi ad compenſandum compellarer: quapropter mei tantum in te vincula, quibus obligor refero, & corculum admiratorem virtutis tuæ. Si quid interim noſtra valet promptitudo, totâ fruere,

fruere, quod tam precibus inceſſanter à te peto, quam celeritate executurum quicquid juſſeris me polliceor. Vale vir Clariſſime, & Andreæ Argoli tui memor diu vale. Patavii die XXVIIII. Septembris MDCXXXVII.

Excellentiæ Tuæ officioſiſſimus

ANDREAS ARGOLUS in Patavino Licæo Mathematicus.

EPISTOLA XLVII.

Illuſtriſſimo Viro,

D. HUGONI GROTIO,

Sereniſſimæ Reginæ & Regni Suecorum ad Chriſtianiſſimum Regem Legato.

Lutetiæ.

Illuſtriſſime Vir.

QUi has ferunt, D. Rhode & D. Berchringer, comites Palatini Principis, ille eques Germanus, alter ſtudiorum Principis rector, uterque eruditus & *famæ tuæ ex ſcriptis admirator* ad dignitatem tuam adi-

tum meis munire voluerunt. Etſi autem nec tua inſignis humanitas nec virtus illorum ſingularis, cui ſolum judicium Sereniſſ. Reginæ ſatis magno teſtimonio eſt, indigos hujus pararii eos ſineret: *tamen nolui tam bellam occaſionem perire* quin officium rogantibus præſtarem, & tibi ave ferrem. Quemadmodum enim ſi Pariſiis agerem, auctior eſſes uno καθημερινῷ ſalutatore, qui te aſſectaretur, deduceret, coleret, *qui ex ore tuo penderet, & verba tua pro æternis præceptis reconderet:* ita poſtquam hoc non eſt, διμοιρίας τινὸς inſtar habeo, quod *literis interpretibus* identidem ſigna tibi dare poſſum devotæ futuræ, ſi fas eſſet, meæ præſentiæ. Epiſtolam tuam & conjecturas recte accepi pro quibus nunc minus gratias ago, quod ſervem id illuſtriori loco, cum illud munus, ſi Deus faverit cœptis, publice edemus. Omnes enim *vehementer mihi probantur*, præter duas forte, de quibus proxime agam tecum & τί ἀρέσκουσάν σοι explorabo. Factum enim cum nuper Leidæ eſſem, ut apud Nic. Heinſium maximi viri filium, penes quem ex more diverteram, adverſaria mea ad Thebaida una cum ſcheda tua neſcio quomodo oblitus reliquerim. Utinam, vir maxime, impetrare hoc à te poſſem, ut me in gratiam poneres apud aliquem eruditorum illius loci qui hæc ſtudia colunt, ſive is

eſſet

eſſet P. Puteanus: qui cum *literas commutare* quirem & cognoſcere quid ibi aut ederetur aut eſſet noſtris inceptis juvandis. nam te quidem . . . . . . *vereor ne dudum noxam contraxerim.* Fieri poſſet, ut aliquis typographorum Pariſienſium, quod ſolent, novam editionem Papinii cum omnibus interpretibus ſuſciperet. Velle autem ut textus daretur emendatior, quod nunc facile eſſet mihi & curare geſtio, non alicujus lucri aut gloriolæ, ſed publici boni cauſſa: nollem vero Diatriben recudi, niſi ut à me recognita & plurimis in locis aucta eſt. Sunt etiam multa, quæ nunc mutarem: nec pauciora quæ fortunata illa editione prætermiſimus. In epicedio Pileti locum qui miſere nos exercuit, nullus dubito nunc ſcribendum eſſe:

vitæ modo cardine adultæ
Nectere tendebat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida luſtris.

Vita adulta nihil aliud eſt quam adoleſcentia. ut *vitam laboratam* alibi in Thebaide eſt vita, quæ labore exercita eſt. Ille ergo, inquit, juvenum pulcherrimus in adoleſcentiæ cardine conſtitutus tendebat nectere unam trieterida cum tribus luſtris. In Abaſcanti pietate ita ſcribendum eſt: *Palæſtinis ſimul Hebræique liquores.* non *Palæſtini.* & eſt ta-

 le

le loquendi genus,cujuſmodi notavimus p 408. Eodem carmine v. 230. diſtinguendum eſt:

Hic te Sidonio velatam molliter oſtro
Eximius conjux (nec enim fumantia buſta
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Compoſuit, Priſcilla, toro, (nil longior ætas
Carpere, nil ævi potuerunt vitiare labores)
Siccatam membris. Tantas venerabile marmor
Sepit opes.

Protreptico Criſpini v. 61. legendum: *Jamque altum moliris iter*, ex MS. Senenſi, i. arduum, non *alio*, ut vulgo. Ibidem v. 84.

ſed te puer optime cerno
Flectentem juſſis & talia dicta parantem.

MS. Sen. Ro. & Ven. ed. *Flectentem juſtis.* veriſſime. i. juſta deprecatione. Sic alibi, *juſta rogare*, & *juſta queri* in Propemptico Mettii. Epicedio in Patrem v. 267. legendum:

Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis:
Vellet &, Elyſia quamvis in ſede locatum,
Abripere, & Danaas iterum portare per Umbras.
Tentantem & vivos molitum in Tartara greſſus
Depulit inferna vates longæva Dianæ.

Vul-

Vulgo peſſime diſtinguitur hic locus & legitur inepte, *Detulit*. Et plura ſunt ejuſmodi, quam ut tempore tuo abuti recenſendis illis audeam. Etiam atque etiam obſecro te, ut hanc petitionem meam curæ habeas, niſi grave eſt & de iſtis, aliter ſi ſentias, monere ne dedigneris. Accipe quoque ſpecimen operis Caſauboniani. In quo miror nullas comparere ad Nic. Rigaltium epiſtolas, cum tamen certum ſit ex iis, quas ad Thuanum ex Anglia ſcriptas habemus, pluſculas inde ad præſtantiſſimum illum virum à Caſaubono datas. Si nanciſcendarum illarum ulla copia eſt, rogare auſim, ut egregium opus noſtrum hoc augmento juvare ſtudeas. Vale vir illuſtriſſime ac memento noſtri. Hagæ a. d. III. Eid. Januar. Anno cIↄ Iↄ cxxxvIII. *quem tibi tuiſque publice privatimque feliciſſimum ex animo precor.*

Nominis tui maximi

cultor devotiſſimus

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.

Ampliſſimo & Clariſſimo Viro

D. MATTHIÆ ab OVERBEKE.

Lugd. Batavorum.

Ampliſſime & Clariſſime Vir, Domine & Amice integerrime.

UT ſunt tempora, in quæ ætatem noſtram incidere voluit rerum omnium arbiter non dubito quin de calamitatibus & anguſtiis, quibus cum perpetuo ferè & hodie inprimis conflictamur, plura inaudiatis quam velitis; nec opus ſit noſtris literis indicari, quæ publica fama nunciat. Aprili pars haut modica Cæſarei exercitus in has ditiones tranſiit, & quamvis domicilium Academiæ, oppidum videlicet noſtrum, hoſpitii præbendi onere levatum ſit, magnis nihilominus incommodis premimur, præcipuè verò inſigni annonæ caritate, quæ hodie tanta eſt, quanta toto duodecennio, quo infelix hoc bellum duravit, non fuit. ſed de iſtis plura, ſi cognoſcere cupis, referet, cui haſce perferendas tradidi, Nobiliſſimus & Eximius ju-

juvenis, Fridericus à Steinberg, filius Erneſti, qui quum vixit magni noſtri Cornelii ſummus fuit amicus, quia & meus; vir egregiâ pietate, eruditione, virtute & prudentiâ, propter quas dotes ante annos XVI. à Principe & proceribus dignus habitus fuit, qui Proprinceps, (*Stadthalter* noſtri vocant) crearetur. Cæterum fructum ejus haut diuturnum cepimus: nam ſub initia metuum, quibus in XIII. uſque annum nunc jactamur, obiit, & turbis miſeriiſque, quibus patriam affligi Deus voluit, ereptus eſt. Filius hic ejus unicus, ſane non degener, ad vos iter molitur, aliquamdiu in ſtudiis apud vos victurus. Exiſtimavit è re ſuâ fore, ſi ejus ad te mentionem ego facerem. Quod uti equidem denegare non debui, ita nihilominus adeo neceſſarium non putavi; tute enim tuâ ſponte in eos, qui à nobis veniunt, propenſo es adfectu: & huic ad commendationem ſatis eſſe poteſt natum eſſe patre, qualem dixi, & noſtri Cornelii olim intimo. Neque tamen deſunt, quibus ex ſeſe commendetur; quæ vos ex re ipſâ quam meis verbis cognoſcere malo. Deum autem oro, ut te tuamque lectiſſimam conjugem & ſuaviſſimos liberos (quibus omnibus multam ſalutem à me dici cupio) diutiſſimè præſtet incolumes, & ab omni malo infortunioque immu-

munes. Vale feliciter. raptim ex Acad. Juliâ, Kal. Jun. cIↄ Iↄ cxxxiix.

Tuus

Quantus Quantus antiqua fide

GEORG. CALIXTUS.

EPISTOLA XLIX.

Illuſtriſſimo Viro

HUGONI GROTIO,

Sereniſſimæ Reginalis Majeſtatis, & Regni Sueciæ Legato ad Regem Chriſtianiſſimum.

Lutetiam Pariſ.

Illuſtriſſime Domine,

QUod epiſtolium hoc una cum Vellejo à me edito tibi mittam, non tam ab arrogantia ulla proficiſcitur quam ob amorem fit, quo ſemper parentes adeoque totam familiam noſtram es complexus. Geminum mitto exemplar quo alterum des amicorum tuorum alicui hujuſmodi ſtudiorum non incurioſo.
quid

quid à me ſit præſtitum in nova ejus editione non eſt noſtræ cenſuræ, cum ratio ſæpe fallat adoleſcentes. Mittebant ſæpe veteres ad oraculum Apollinis Delphici ſciſcitatum de rebus dubiis quo quid facto opus eſſet cognoſcerent. Similiter & ego, domine illuſtriſſime, miraculo omnigenæ eruditionis haſce qualeſcunque primitias judicii tui facio: quas ſi non omnino diſplicere animadvertero, animum ad majora tentanda addes. Siquidem Julium Cæſarem jam aggreſſus ſum. Non aſpernandam operam in aliquot jam libris poſuerat frater meus Dionyſius ὁ μακαρίτης. Mihi de cæteris, ac præcipue ſcriptoribus iis qui adnecti ſolent pertexere telam eſt animus. Eo autem melius ad hanc provinciam ſubeundam ſum animatus, quod nactus ſim è Palatinis, atque aliis MSS. lectiones variantes ab propinquo meo (nam matris conſobrinam habuit uxorem) Jano Grutero V. C. fide optima ad marginem codicis annotatas. Neque ejus rei lectorem meum ſinam eſſe ignarum. Quod ſi quis eruditorum in Galliis, monitu tuo, ſymbolam conferre volet, non is fuero, qui laude ſua quemquam ſim fruſtraturus. Deus te, illuſtriſſime Domine, cum familiæ tuæ, ac amicis, (in his nobis etiam admiratoribus & cultoribus tuis) tum vero regno Sueciæ per te florentiori, atque
adeo

adeo univerſo orbi Chriſtiano, diutiſſime ſalvum ac ſoſpitem conſervet. Amſtelodami cIↄ Iↄ cxxxix. Pridie nonas Junias.

Illuſtriſſimo nomini tuo devotiſſimus

GERARDUS VOSSIUS GER. F.

EPISTOLA L.

Illuſtriſſimo Viro

D. HUGONI GROTIO,

Sereniſſ. Reginæ & Regni Suecorum ad Chriſtianiſſimum Regem Legato.

Lutetiæ.

Illuſtriſſime Domine.

INſigne amoris indicium poſtremæ tuæ a. d. XIV. Kal. Mart. datæ mihi præbuerunt, quæ comitate tua Puteanis fratribus commendatum me nuntiabant. Non ſufficio exſolvendis gratiis præſertim quum excuſandum habeam potius, quod tam ſero beneficium tuum

tuum agnoſcam. Id tamen ſine ulla culpa mea contigiſſe velim recognoſcas. Ego enim ſtatim lectis tuis omnia vota in unum conjungere feſtinabam. itaque ad illos ſcripſi, tibi gratias egi. Eas commiſi Bruneo Voſſii affini, Fr. Junii nepoti: qui tum in Galliam iter affectabat, & ultro hoc officium offerebat. Poſtea diſtulit ille profectionem in æſtatem anni ſequentis: egoque meas adhuc in Selandia morari ante paucos demum dies non ſine ſtomacho intellexi. Quando igitur ille ſaltus obſerptus fuit, nunc repeto pulcherrimam ambitionem, & audeo à te petere, uti incluſas in fidem commendationis tuæ P. Puteano tradas. Accipe etiam Epiſtolas Iſaaci Caſauboni tandem à lentiſſimis operis ad umbilicum adductas. Amabis, credo, laborem noſtrum & pietatem in manes viri maximi, neque enim aliunde in hoc opere laudari me poſſe confiteor. Quanquam non fuiſſet forte cujuſvis, eam editionem dare: adeo in apographis negligentia deſcriptorum multa corrupta, præcipue in Græcis, & inſtar Sibyllæ foliorum erant. Miſiſſem plura exemplaria, ſed oppido pauca à typographo, ingratiſſimo pro hac biennii opera, accepimus amicis offerenda, quod L. ſtipulatus ſibi fuiſſet Rivetus, præcipuus autor operis. quæ tamen mirum ſi homini avariſſimo extorquebit. Il-

lud cum rubore legi, ſumptam à te operam quærendo ex iis qui . . . . . . noverunt, ſi Statius eſſet ſub incudem revocandus, *Adeone ego effrons*, ἀναίσθητος & fatuus eſſem, ut mea apud te, virum & propter incomparabiles virtutes & ingentia in literas *merita & dignitatem denique illuſtrem numinis inſtar mihi venerabilem*, gratia tam *improbe abuterer*, ut hoc peterem? Non ea mens mea: ſed quia pene ſpes viſendi Gallias meam decollaverat, rogaram ut alicui ex eruditis me conciliares, quicum *commercium literarum inſtituerem*, ne quando me vivo & inſcio *opuſculum imperfectum ſine lima denuo prodiret*; ſcireque poſſem quid ibi in ſtudiis ageretur. Atque iſtius voti quando me compotiviſti, iterum iterumque ago gratias, lætaborque impenſius, cum tuæ Puteanæis comitatæ ad me venerint. *Ante omnia oro, ne toties graviſſimas curas tuas vel ſic interpellantem benigne feras. Cupio ſæpe ad te venire meæ hæc obſervantiæ levia pignora. præſertim cum indies tot monſtra naſcantur, tot* γηγενεῖς, *qui allatrandis maximorum virorum (interque hos tuo) nominibus ſuæ vilitati decus quærant. Quos confirmo tibi odiſſe me cane & angue pejus*, & ab hac inſania longiſſime ſemper abfuturum. Vale vir incomparabilis, rem bene gere, & gloria

Tua

Tua fruere. Hagæ poſtrid. Kal. Nov. An. cIↃ IↃ CXXXVIII.

Illuſtriſſimo Nomini Tuo devotiſſimus ætatem

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

EPISTOLA LI.

Illuſtriſſimo Viro,

D. HUGONI GROTIO,

Perpetuo regni Sueciæ ad Galliarum regem Legato.

Pariſ.

Vir Ampliſſime.

JAm biennium eſt, ex quo acceptis à tua Excellentia Literis reſpondere debui, idque jure ſummo: etenim ſingularis comitas, qua ſeſe Excell. tua demiſit, ad literarum commercium cum impari inſtituendum, nullam moræ meæ cauſam admittebat. Verum quod nonnulli ſupinæ negligentiæ aſſcriberent, ortum ex reverentia dignitatis tuæ: quam ſine

manifeſta cauſa compellare non ſuſtineo. Licet mihi id honori, imo gloriæ ducam, ſi à viris illuſtribus reſponſorias, ubi id meæ non merentur, accipiam. quas vano eorum judicio opponere ſoleo, qui antiquitatis & linguæ Rabbinicæ contemnunt ſtudia. ſed uti nulla eſt ignoti cupido, pariter nec rectum judicium: adeoque nihil miri, ſi ordinis iſtius homines, in iis quæ deſidiâ ignorare coguntur, pravo judicio cæſpitent. Nihilo ſecius in inſtituto meo pergere ſtat ſententia. Cujus rationem lubenter viris eruditiſſimis reddere geſtio: ideoque ſubinde lucubrationes meas tranſmitto. quod facerem ſæpius, ni obſtaret lucri illa fames, quæ typographos ab orientalibus excudendis averruncat: quum animadvertunt, facilius & majori cum emolumento, grammaticos, ſcripta eriſtica, aliaque diſtrahi. Quæ ipſorum indoles me diu remorata fuit. Tandem alium nactus typographum, primo notas meas in Bertramum edendas exiſtimavi, in præludium aliorum: ſiquidem, favente Domino, ſtatim ſubſequentur codices reliqui de legibus, ante annos complures parati. Interea Bertramum nuper recuſum mittere ei viſum, cujus judicio cadere vel ſtare non detrecto. qui haſce cum libello defert, eſt Tigurinus quidam, Johannes Henricus Hottingerus: juvenis ita in

orien-

orientalibus, inprimis in arabicis, verſatus, ut ſæpius ad ipſius ſermones obſtupuerim. De religione Arabum, ritibus, argumentis, exceptionibus ad rationes noſtras, linguâ & ſimilibus nemo judicare poteſt melius. Ideoque cum hoc munuſculo meo eundem ad Excell. tuam dirigere volui, quo Excellentiæ tuæ (quod exoptavit) innoteſceret: ſiquidem iis dotibus ornatus eſt, quæ viri doctiſſimi favorem facile conciliabunt. hiſce vale, Vir Ampliſſime: & porro humanitate tua complectere eum, qui permanet

Excellentiæ veſtræ cliens humillimus

C. L'EMPEREUR.

Dabam Lugd. Bat. 3. Kal. Martii. an. partæ ſalutis 1641.

EPISTOLA LII.

SAMUELI SORBERIO,

SAMUEL PETITUS.

S. P.

Pariſ.

QUod exemplar mearum Obſervationum dedidiſti, mi fili, Cl. Gronovio noſtro gaudeo, ut & te eſſe in flagranti amicitia viri ſummi: ſed doleo te incidiſſe in odium eorum, de quibus ſcribis. Non poteras ignorare mores illorum, vel meo edoctus exemplo: ſcis vetus illud, obſequium amicos, veritas odium parit; quam ſatius fuiſſet tuos premere ſenſus, quos ego non damno inauditos, ſed è re magis fuiſſet tua nonniſi in amici fidi ſinu deponere: ſi quis eſt, qui ab omni partium abhorreat ſtudio, in his ego, & quidem primis, nomen profiteor meum, quod & publice ſum teſtatus, & ſcio non placere iis, qui contentionis funem ducere volunt, & cane pejus ac angue piam συγκατάβασιν oderunt; ego vero cum iis non expoſtulo, & ſuo frui judicio facile patior, neque enim totum puto τῷ ἀνέμῳ ἀντοφτιγμεῖν, ubi ne

ne hilum quidem proficias. Mea tamen hæc eſt infelicitas, ut ex eo ordine, qui te vexat, paucos oppido, & vix totidem quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili, mihi noverim amicos, ſed ἡ φροντὶς ἐπικλειδῆ. quod ſit fatum mearum obſervationum & an in ſpongiam incumbere infelices debeant, neſcio; omnes tamen amici ſilent, unum tantum excipio, quem illæ mihi amicum conciliarunt antea ignotum, ampliſſimæ dignitatis virum Senatorem Regium in Divionenſi Senatu, humaniſſimum ſum expertus, ut & eruditiſſimum, nec minus candidum: ei, quanquam legerit & cenſuerit, mittere earum exemplar volo amicitiæ initæ pignus, quare quæſo te jube Lugduni curari unum è meliore & grandiori papyro una cum Notis Ill. Grotii ad Evangelia & Voſſii Libro de Idololatria, ſi tituli bene memini, quas Morellus, cum hic eſſet, mitti ad me jubebat per epiſtolam, ita ſaltem in ſe receperat, ad Pigetum, ni fallor, cui meas ad te literas inſcribi vis; faſciculus hic commode poſſet deferri cum quibuſdam aliis libris, quos petit Montelius noſter: Tu diligenter hæc cura, ſi me amas: nec animum deſponde, aderit Deus; ego quoque tibi non deero; quanquam in tenebris vitam traham, & ignotus eruditis illis, qui tanto numero ſunt Lutetiæ,

& fortean ingratus: quicquid tamen tibi præſtari à me juſſeris, pro viribus præſtabo. V. Cl. Codurcus noſter ne verbum quidem de tuo negotio. Omnes meæ te ſalutant. Vale mi fili: Nemauſi a. d. III. Non. Decemb. ϹIϽ IϽ CXLI.

EPISTOLA LIII.

Clariſſimo & Summo Viro,

D. CASPARI BARLÆO,

Medicinæ Doctori & Philoſophiæ Profeſſori apud Amſtelredamenſes Celeberrimo.

Amſtelredami.

S. Pl. Clariſſime & Diſertiſſime Vir.

GRatias ingentes & iterum iterumque ingentes gratias ago pro feſtivo tuo ac ingenioſiſſimo poëmate, quo feſtis diebus noſtris Thalaſſionem dictaſti. Si beneficii quantumvis magni pretium auget dantis facilitas, quale tuum eſſe oportet, quod apertam petitionem anteceſſit? Ego quidem quanti illud faciam, vel ex eo cognoſças licet, quod non

non niſi timidiſſimo murmure illud optaverim, quod rogare timuerim, quod auctoritatem, vim & πειθανάγκην incomparabilis viri collegæ tui pro me tibi allegaverim. Quare etiam etſi ſerius jamque perfectis nuptiis veniret, & non præſentem modo, ſed jam primis libaminibus perfunctum Hymenæum vocaret, tamen ſtatim typographo dedi, & vel tardius tanto honore frui publice quam carere malui. Me vero etiam alia res acrius accendit ad æſtimandum tuum munus, quod nimirum, etſi Poëta non ſum, diligenti tamen lectione & veterum & complurium recentium eo uſque profeciſſe videor, ut de Vate egregio, cui non ſit publica vena, non inepte judicare poſſim. Itaque tam doctos ſenſus tam fluentes & rotundos verſiculos, tot Veneres, anguſto incluſas ambitu, tantum non adoravi. Præceperam ſane gaudia, quæ tu promittebas: ſed majora, quam experimento ſenſeram, tui fecit vaticinii fides. Tanto libentius accipio pignerorque omina, quæ tu dediſti, & quia caſtam, decentem, facilem aptus ſum, rem rariſſimam tenere me confiteor. Perſuaſiſti denique toto orbe nihil me poſſidere minus, niſi quod brevi coarctata ſpatio tanta virtus non excludit amplexum, eoque plus habet miraculi & voluptatis. Cujus fidelis memoria non penes me ſolum erit

ex fructu, ſed ad poſteritatem quoque pertinget ex præconio tuo, cum non poſſint non æternare, quæ victuris æternum metris tuis transſcripta ſunt futuris ſeculis. Non poterant habere illuſtrius teſtimonium amicitiæ noſtræ ſeri nepotes, quam gaudere te proventu gaudiorum noſtrorum, & divinæ erga nos benignitati in negotio, ex quo totius vitæ dependet tenor tam eleganter favere. Ac quamvis ſciam fieri non poſſe, quin poſt hos exemplum tibi præcipue plauſus tui non ignaro mediocrium ingeniorum conatus ſordeant: tamen illius adfectus fiducia auſus ſum ad te mittere carmina diſſimillima tuis, hoc eſt, mala, quæ nonnulli ab eo, ſub cujus perſona ſcripta ſunt, profecta ſuſpicantur. Tu quocunque ea loco habeas perinde eſt, modo me ames, qui nemini in admiratione tuæ virtutis ei ſtudio tuæ gloriæ concedo. Vale Vir incomparabilis. Daventriæ a. d. VII. Kal. Febr. An. Chriſt. cIↄ Iↄ CXLII.

Nomini tuo devotiſſimus addictiſſimuſque

J. FREDERICUS GRONOVIUS.

EPI-

EPISTOLA LIV.

C. BARLÆO.

Clariſſime Vir.

SÆpius jam debeo & humanitati, & doctrinæ tuæ; ſemel debere me oſtendo. Non unas ad me miſiſti hactenus litteras, & humanitate recreatus ſum; miſiſti libros, & doctrinâ auctos. Quia Doctiſſimus eras, non poteras non Humaniſſimus eſſe, laudem inter primos ævi noſtri adeptus. Quem non rapiat Heroica illa Muſa tua? moveat Suada? beet Sophia? Nova in te incipiant coli ingenii numina, ſi vetera deſinant. Reddis nobis, aut repræſentas, quicquid erudita Antiquitas habuit, & in una Urbe orbem univerſum illuſtras. Deſinant extollere divitias ſuas cives illi tui, quos doces: amplius à te accipiunt. Doces bonos eſſe, & hæ maximæ divitiæ ſunt: Sapientes eſſe, & hæc ad cælum via. Si meo calculo ratio conſtet, eminere te inter opulentos dixerim, ac felicem eſſe: mente poſſides, quod nemo arcâ; ac potes tuâ fortunâ lætus eſſe, qui nimiam non ſectaris. Sane ſi adſim, aureum illud pectus tuum invadam, complectar, & mul-

tis

tis oſculis premam. His nunc dignam Epiſtolam tuam cenſui, verè ſuavem, ingenioſam, amicam; dignum Panegyricum, quem divino prorſus carmine virtuti & ſacræ purpuræ perſolviſti; dignam etiam tam celebrem matronam, eleganter & officioſè à te commendatam. Ut enim ANNAE ROMERIAE nomen legi, totus in lætitiam datus ſum, & hoſpitalem dexteram non renuenti porrexi. Nec mora, in Arcem, & magis in pectus meum, venit, grata uxori meæ, filiabus, totique familiæ. Amare candorem noſtrum, admirari amænitatem loci potuit: cætera ſuo ipſa ingenio fecit. Muſam exceperam, & te Apollinem deſiderabam: tot ſimul numina, quot in litteris tuis nomina expreſſa. Capax hic profectò Helicon & HOOFDII, & HUGENII, & CATSII, & HEINSII, VOSSIIQUE: apti omnes, ut Helicona facerent. Sic ludo cogitatione, & oblecto animum, dum ſævo longoque bello dividimur. Pacis & bonarum Artium myſtæ. Faceſſant arma, ſtudia noſtra tranquilla ſunt: pugnent alii, noſter nunquam poterit amor violari. Eram in Elogiis Auſtriacis, Burgundiciſque, & ad te audeo affectus nomine ſpecimen mittere. Inter Hiſtoriam ac Laudationem medius ſum; niſi utramque potius miſcere videar. Rem narro,

ſed

ſed breviter, & hæ quædam velut lineæ ſunt: orno, ſed leviter, & hi velut colores. Non debeo, ut ſcriptionis meæ ratio eſt, uberius; non poſſum ſplendidius. Elogia ſunt, & hoc ſatis, ut conatum meum, certè me ames. Vale. Lovanii, in Arce. III. Kal. Septemb. ∞. Iↄc. XLII.

Doctrinæ & Famæ tuæ candidiſſimus cultor

ERYCIUS PUTEANUS.

EPISTOLA LV.

Viro Clariſſimo

CASPARI BARLÆO,

Philoſopho & Medico & Poëtæ Summo, Fautori ſuo.

Amſtelodam.

AB ingenio meo abire hodie cogor, Caſpar Barlæe Vir Clariſſime, maxime fautorum, tibique literis meis moleſtus eſſe. Nam hactenus quidem ab epiſtoliis mittendis ſedulo mihi cavi, quia plus ſatis alias ſcio

ſcio nugari: ſed nunc ad ſcriptionem me invitat neceſſitas. Heri per literas oblatum mihi eſt à Clariſſ. Calixto, ut præficiar ſtudiis filii magnifici Viri Cancellarii Brunsvicenſis Ducatus, liberali ſatis ſtipendio, certâque ſpe Phyſicæ profeſſionis in Academiâ Juliâ, quæ hodie ibi vacat, obtinendâ. Me vero etſi non pauca alliciant, multa tamen maxime deterrent. Nam ut verum fatear, omnibus divitiis aut aliis etiam ſummis honoribus ſemper docendi Academicum munus antepoſui. Et hodie in eam redactus ſum conditionem, ut de vitæ genere mihi cogar proſpicere. At quando ejus provinciæ imminentes reſpicis calamitates, quibus ego omnino, ſi iſtuc eam, ſum involvendus, non leviter abhorreo. Inprimis autem me ægre habet conſcientiæ quam paſſurus ſum ſervitus. Toto enim pectore in Remonſtrantium partes propendeo, quas ut ſilentio tegam, perpetuo vis mihi foret inferenda: & tamen aliter vivere mihi vix licebit niſi ſummo mei periculo, & aliorum ſcandalo. Nam ſi dubitare me leviter ſenſerint, vereor ne iratos etiam eos ſim habiturus, quibus jam ſummè amicis utor. Accedit quod ad Auguſtanæ Confeſſionis, corporiſque quod vocant Julii ſubſcriptionem ſim adigendus. Quod neſcio quomodo à me queam impetrare. Vide, in tan-

tantâ ſervitute etiam ibi vivitur, ubi præcipuè hodie in Germanis bona mens locum aliquem obtinet. Jam conſilio tuo, Vir Clariſſime, me juves. Namque cum multo maxima tibi debeam, nolo te inconſulto quidquam aggredi. Obtuli nuper, uti noviſti, omnem operam meam veſtris in hac regione partibus: & hodie ita ſum animatus, modo vivendi quædam ratio huc ſeſe offerat, non alibi me mori malle. Ante omnia enim mihi allubeſcit ingenii libertas. Vix auſim mihi polliceri in hac provinciâ publicum docendi munus; quum præter te neminem habeam, qui vel me noverit, vel proceribus poſſit commendare. Et tamen haud aliud fortaſſis eſt munus, quo ego Remonſtrantibus uſui eſſe queam. Nolim enim iis moleſtus eſſe. Addo, quod tantum Amſtelodami ad canones Dordracenos nemo adſtringatur. An ab unicâ iſta urbe omnem vivendi rationem expectabo? Ubi præter te vix eſt qui me amet. Optime fautor, quæſo in medium conſule quid opus ſit factu. Omnis ſpes mea in te eſt collocata. Dabit aliquando ſe occaſio gratiam referendi. Hodiè conſilio tuo ſumme indigeo: maximè quando è veſtigio vel hinc ſit abeundum, vel oblatum illud munus literis recuſandum. Ita enim urget Calixtus. ſi levis hic mihi ſpes affulgeat vivendi, malim

hic

hic apud vos degere etiam tenuius. Rogo te vir Clariſſime moneas me literis quam potes primâ occaſione. Urgeor enim. Interea conficiam quod reſtat ejus operis, quod de articulis ſcitu neceſſariis condo. Vale optime vir cum omni familiâ tuâ, quam ſalvere etiam atque etiam rogo. 27. Junii.

HERMAN. CONRINGIUS.

EPISTOLA LVI.

A Monſieur, Monſieur

GASPAR BARLÆUS.

à Amſterdam.

MONSIEUR.

Comme ma curioſité ma fait viſiter le magazin de l'un de vos imprimeurs d'Amſterdam, qui eſt maintenant à Paris, j'ay rencontré chez luy en meſme temps deux precieux threſors. Le premier eſt le volume de vos nouvelles oraiſons; Et l'autre eſt la commodité de vous teſmoigner par ce mot la haute eſtime que je fais de vos excellens ouvrages de vers, & de proſe. J'ay leu il y a long temps vos premieres poëſies Latines avec tout le conten-

tentement, voire meſme avec toute l'admiration dont mon eſprit eſt capable. Il me ſemble que vous, & le docte Heinſius eſgalez l'ancienne Rome dans la pureté de voſtre diction, & meſme ſi j'oſe dire devant vous ce que je dis hautement dans toutes nos conferences, vous la ſurpaſſez encore dans la force de vos penſées, dans vos nouvelles delicateſſes, & dans vos miraculeux agréemens. Auſſy pour vous teſmoigner le reſpect & la deference que je veux que mes Muſes rendent aux voſtres comme à leurs ſouveraines maiſtreſſes, j'ay recueilly de mes ouvrages François tout ce que j'ay peu recouvrer en un quart d'heure. Je vous les envoye, & ſi je ſuis aſſez heureux que vous y rencontriez quelques ſentimens qui vous plaiſent, je me tiendray auſſy glorieux de voſtre approbation, que ſi ces deux genies tutelaires de noſtre Parnaſſe, Horace & Virgile m'avoient dit que je ne ſuis pas mauvais poete. Tel que je ſuis je vous honoré parfaitement, & fais vœu d'eſtre toute ma vie

Monſieur

Voſtre tres-humble & tres-affectionne Serviteur

COLLETET.

De Paris ce 16. Septembre 1643. Si vous deſirez m'honnorer de vos commandemens je logé à Paris à l'entrée du Faubourg St. Marcel, prés des Peres de la doctrine Chriſtienne.

EPISTOLA LVII.

Illuſtriſſimo & Incomparabili Viro

D. HUGONI GROTIO,

Sereniſſimæ Reginæ & Regni Suecorum ad Chriſtianiſſimum Regem Legato ordinario.

Pariſ.

Illuſtriſſime Maximeque Virorum.

NIhil magis honorificum mihi, quam votis tuis tam benevolis meam optionem in vitæ ſtatu collocando & matrimonium ſecundari: eoque rata facturum Deum immortalem & confido & ex principiis ominor. Nam (quoniam verbulo de his cognoſcere non videris gravari, utpote φιλόςοργ☉ & favens mihi) hoc quidem adhuc jucundum, concors, fœcundum, (ex a.d. VII. Eid. Decemb. pater ſum) magnarum moleſtiarum levamen, nec ullo ſtudiorum impedimento, experior. illam deliberationem texebant aliquamdiu ſuſpenſam propinqui, quorum, avunculus maximus, Daniæ Regis conſiliarius & cum maxime legationis ad Monaſterienſem pacificationem pars, alter apud Holſatiæ & Brunswi-

wicenſem Duces, affinis ſororius apud Archiepiſcopum Bremenſem eodem iſto nomine & dignitate conſpecti ad alia vocabant, & large promittebant. Sed literarii otii dulcedo, & quod mihi fortunam meam debere mallem quam per alios prenſare, denique Belgii genius nimis blande mihi dudum conciliatus huc lancem inclinarunt. Cujus conſilii nec pœnitet hactenus, & majorem fructum capiam, ſi, quod ei primum debeo, munuſculum per Ampliſſ. Sarravium Excell. Tuæ tradendum gratum fuiſſe cognovero. Commentarium deſigno de Seſtertiis, quo conati ſumus, temerario quidem ſi eventus non reſponderit, excuſando tamen ob voluntatem bonam incepto, nonnulla ejus materiæ ſatis ambigua planius explicare. Quam difficile id fuerit poſt tantos Viros, quorum ipſa nomina quemvis ſanum deterrere poterant, cum tamen ipſi nec aliis nec ſibi plene ſatisfacere potuerint, nemo non facile arbitrabitur. Licet tamen fateri, non novitate tantum commenta noſtra nobis placuiſſe, ſed ipſa illa luce, quam principali quæſtione poſita & deciſa multis aliis undique adfulgentem mirabar. Utinam quid hic calculo tuo queat probari! Sed æquum ſatis judicem fore vel poſtrema tua ſpondet epiſtola, qua, ut ſemper ſolitus, audendi mihi ſtimulos effica-

caciſſimos admoviſti. Laus hæc tua propria eſt, quam in nullo magnorum, quos noverim quidem, ævi noſtri virorum tam manifeſtis indiciis deprehendi, ut ſis ἀρετὴν φυομένην μὲν αἰσθάνεσθαι δεινὸς, εὐμενὴς δὲ καὶ θρέψαι καὶ προαγαγεῖν εἰς δόξαν, quod de Valerio Flacco Priſci Catonis commendatore dicit Plutarchus. Vale & ſalve Vir incomparabilis, cum tuis, & publicam privatamque rem bene gere. Daventriæ a.d. v. Eid. Febr. cIↄ Iↄ CXLIV.

Illuſtriſſimo Nomini Dignitatique Tuæ dicatiſſimus

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

A. RIVETI

Epiſtola ad

MARTINUM LYDIUM,

Eccleſiæ Heuſdanæ Paſtorem.

S. P.

Reverende & Doctiſſime Vir, Frater in Chriſto dilectiſſime.

QUod commendatum à me tibi Juvenem Lambermontium promoveris ad honeſtum illud munus, gratias tibi ago, eique injungo, ut ita ſe gerat, ne vel me pudeat eum tibi commendaſſe, vel te eum promoviſſe. Si exiſtimaſſem opus fuiſſe viro litterato, non eum duxiſſem aptum; ſed ſi hoc tantum quærant parentes, ut liberos peregrinantes in Galliis comitetur, eos in lingua populari exerceat, curetque ut honeſte excipiantur & habeantur, & expenſorum rationem habeat ne iis fraus fiat, ſpero illum ſatisfacturum. Quod vero quæſtionem ſpectat quam mihi ſolvendam moves, eadem à Re-

ver. Colvio Gallica epiſtola, mihi fuit ante aliquot ſeptimanas propoſita, cui paucis reſpondi, cum ille petitionem ſuam arctaſſet ad expoſitionem verborum Pauli, ubi agitur de naturæ dictamine. Petebat ergo ut indicarem, quam exiſtimarem loci illius genuinam expoſitionem 1 Cor. XI. 14. ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς &c? Reſpondi, quantum memini (apographum enim Epiſtolæ non retinui) verſus illius ſenſum pendere à præcedentibus, ubi Apoſtolus agit de decoro ſervando tam viris quam mulieribus in Eccleſiæ cætu, fundamentum illud ſubſternens, inter virum & mulierem eam eſſe differentiam, quod vir emineat & poteſtatem habeat; mulier ſubjecta ſit ex ordinatione Dei & naturæ conditione, tanquam debilior & fragilior. Subjectionis autem notam & quaſi velamen eſſe intonſam capitis ſylvam & promiſſos crines. Mulier enim apud omnes fere nationes, quo magis comata fuit & denſiorem comam aluit, eo magis commendabatur, id in præcipuis mulieris ornamentis pleriſque nationibus deputantibus. Ea autem eſt à natura dictata diſtinctio, ut quod libertatis & dignitatis eſt indicium, conveniat viro; ut mulieri ſubjectionis ſignum. Unde illud conſequens elicit Apoſtolus, *naturam ipſam docere*, indecorum eſſe viro comam alere, nempe more

mu-

muliebri, ita ut inter virum & mulierem vix diſcrimen appareat, in illa ſuperiori corporis parte quæ oculis omnium eſt expoſita. Ubi naturæ nomen uſurpatùr de eo quod ex communibus naturæ principiis conſequitur, & apud pleroſque probatur, quamvis id natura *directe* non doceat. Sic ad naturæ dictamen referri debet quod vir veſtes muliebres gerere non debet, nec mulier viriles: ſed in ipſis etiam veſtibus diſcrimen ſexus eſſe debeat. *Naturam* autem hic pro *conſuetudine* accipi non mihi perſuadeo. His poſitis, quæ, meo quidem judicio, clara ſunt; ſi menſuram ſpectemus, quæ in tondendis capillis obſervari debet, nulla poteſt certa præfigi, ſed pro ratione temporum, locorum, & perſonarum, variari poteſt, ita ut tonſio capillorum viris præſcribatur, modeſtiæ ratio inter Chriſtianos habeatur, decoro tamen non neglecto. Quod ſi qui accedant ad muliebrem capillorum, & curioſum cultum,

> *Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.*

Naturali quadam luce, judiciique ſanitate quam extra Dei verbum ipſe gentes communem habebant, viro dedecori fuit, *inſtar mulieris* comam nutrire, molleſque & effœmi-

nati fuerunt habiti qui in comæ cultu aliquam ſuæ dignitatis & pulchritudinis partem collocabant. Hæc reprehendi poſſunt & debent, ubi à modo ſervando viri aberrant, & in exceſſu peccant. Sed propterea non mihi videntur audiendi, qui in talibus ita ſunt rigidi, ut ſine acerba reprehenſione & judiciorum Dei denunciatione, ferre non poſſint morem uſitatum, etiam apud viros honeſtos & graves, ſi capilli tegant aures, aut paulum ab occipite collum verſus protendantur. Abſit tantum exceſſus & nimia cura, quæ virum dedecet melioribus ſtudiis natum. In exceſſibus autem corrigendis prudentia opus eſt συγκαταβάσει, maxime cum mos aliquis obtinuit in populis; ne dum ſcrupuloſius talia urgentur, quæ maxime corrigi debent, vitia clamantia negligantur; & in eadem appenſa ſtatera, quæ graviſſima ſunt, inter minima referantur. Hæc eſt judicii mei ſumma: quod ſi tibi arrideat, gratum mihi erit; ſi quid vero in eo reperiatur non ſatis diſcuſſum, gratus amplectar ſi qui meliora proferant. Sub prælo, ut audio, ſudat luculenta ſuper eo diatriba Illuſtris Salmaſii ad eundem Colvium, quam brevi editam videbis. Deum precor ut magis ac magis te in vinea ſua non ſegniter laborantem ſuſtentet, teque omni benedictione cum tuis cumulet.

Vale

Vale Hagæ Comitis VII. Kal. Majas CIↃ IↃ CXLIV.

Tuus omni affectu & officio

ANDREAS RIVETUS.

D. D. Collegas tuos, & Chariſſ. Fratrem Mareſchallum, ſi meis verbis plurimum ſalutes, me devincies

---

EPISTOLA LIX.

Viro Clariſſimo Præſtantiſſimoque

D. CASPARO BARLÆO,

SAMUEL SORBERIUS.

S. P.

Amſtelædam.

AUdeo te, Vir Clariſſime, tot aliis diſtrictum gravioribus curis, de rebus meis compellare, quas haud ita pridem præſens expoſui; ſed quarum ne ſubrepat oblivio non ſine cauſa, ſtimulante ſcilicet tenuitatis propriæ conſcientiâ, ſubvereri poſſum. Addit tamen animum Avunculi mei Samuelis Petiti ꝟ νῦν μακαρίτε nomen haud ignotum tibi,

 cu-

cujus præclaros, literatiſque omnibus gratiſſimos futuros in Flavium Joſephum labores, publici juris facere percupio; quandoquidem morte præventus vir de genere humano tam bene meritus id mihi curæ moriens demandavit. Hoc autem mihi & multis bonis luctuoſiſſimum funus contigit dum ante biennium in Hollandia dego, nec mihi commodum nunc erit tam longum iter in patriam Nemauſum ſuſcipere, niſi occaſionem nanciſcar adoleſcentum quorumdam deducendorum, quâ uſos fuiſſe audio viros Cl. & amicitiâ mihi conjunctos Gronovium, Cordeſium, Bornium. Te igitur ſummopere rogo, Vir Clariſſime, ut quâ polles apud Amſtelodamenſium ditiores gratiâ, inquiras ſedulo, an ſub autumnum, vel ineunte vere proximo, voti compos fieri poſſim. Quid fortaſſe præſtarem parentibus non ingratum, quo liberi, ingenuâ indole præditi, prudentiâ, comitate, rerum humanarum peritiâ, nec non pietate & virtutibus ornatiores domum reverterentur, aliis judicandum relinquo, qui norint quam ſincero affectu ad optima quæque, pro modulo ingenii à Deo conceſſi, contenderim. Unde ſanè totum fermè quadriennium vixi Lutetiæ notus & charus viris (quo nomine gloriari licet; nam ſummis innotuiſſe viris non ultima laus eſt.) ſeculi noſtri

pri-

primariis, Grotio, Merſenno, Gaſſendo. Plura quid addam? neque his majora quæ proferam habeo; neque ſi haberem pudor inſitus præconium laudum mearum inſtitui pateretur. Immo adverſæ fortunæ malignitatem inde æſtimabis, quod reluctante oris mei infirmitate, abſtinere tamen prorſus non debui; ne deeſſe mihi viderer, eo potiſſimum tempore quo nimis experior amicorum plureis linguâ factioſos, at nihil præſtare operæ; virtutem verba putanteis, ut lucum ligna. Alia de te ut ſperem facit perſpectus candor, & quæ non poteſt eruditionem conſummatiſſimam non comitari in amantes eruditionis humanitas prolixa, cui non leve momentum addet procul dubio favor quo nos Ampliſſimus Vicofurtius tuus proſequi dignatur. Vale, Vir Clariſſime, & me tui obſervantiſſimum obſequentiſſimumque redama. dabam Hagæ Com. Eid. Jun. cIↃ IↃ CXLIV.

EPISTOLA LX.

PETRO CORNELII HOOFT,

Satrapæ Mudenſi, &c.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine.

INjuriam feci humanitati & comitati tuæ, quod jam dudum nihil ad te literarum dedi: cum verò ſemel ſilere cæperam, perrexi hactenus ultrò, plane ut illi, quibus res timida aut turbida eſt domi, pergunt turbare uſque. Accedebat verecundia mea antiqua, agnatum tenuibus malum, quæ me tantum depreſſit, quantum tua frons olim excitare poterat. Vicit tamen affectus in me tuus, & immerita benevolentia, quæ me ad ſcribendum denuo impulit, ut negligentiæ meæ culpam apud te ſimul accuſarem & deprecarer, ne facem illam tam glorioſæ tuæ amicitiæ mea culpa extinguerem & memoriam obliterarem. Non enim ſum neſcius, hanc meæ venerationis partem ſolam eſſe, qua te proſequi poſſim. quare officioſa fortaſſis importunitate peccare volui, quam amplius ſilere, poſtquam me ſemel in cenſum cultorum tuo-

rum

rum referre non es dedignatus. Et quomodo ſilerem apud te? qui munificentia tua me toties compellas, quoties auguſtam tuam Hiſtoriam aliaque ſcripta volvo ac revolvo, plena nervorum & ſpiritus, in quibus nihil humile, nihil abjectum; ſed omnia ſublimia, ſolida, grandia, verbis & ſententiis; abſque ullo tumore, & (quod rarum eſt) affectatione. Me ſane plurimum delectant, levantque triſtem ſolitudinem, qua cum in his deſertis Velaviæ regionibus colluctor: in quibus (ut cum gratia popularium meorum dicam) nihil invenias gratiarum, ſed cum ſenticetis & ericetis pleraque horrida & aſpera; ut parum abſit, ſi cœlum excipias, quin Hollandia nobis ſit quaſi Tibur, & hic tractus Sardinia. Ne tamen ſomno aut Lethargo opprimar, facit ſubinde conſuetudo & familiaritas hujus ȣ γϱαμματοφόϱȣ. D Franciſci Martinii, collegæ mei vicini & intimi, amatoris tui ſummi & æſtimatoris, qui te non aliunde quam ex ſcriptis tuis novit abſentem: quem ſi parte aliqua præſentiæ dignari voles, erit, unde novo nomine tibi ſim obſtrictus: Non enim dubium eſt, quin duobus ſis gratificaturus in uno. Vale Vir Magnifice, meque, ut cæpiſti, benevolentia tua complecti perge. Clariſſimo D. Barlæo officioſiſſimam à me ſalutem. Dabam

bam in Vaeſſen, An. MCIↃCXLV. v. Id. Febr.

Tuæ Nobiliſſ. Magnificentiæ Studioſiſſ. & obſervantiſſ.

CONRADUS GODDÆUS, Orator Eccleſiaſticus in Vaeſſen.

EPISTOLA LXI.

PETRO CORNELII HOOFT,

Satrapæ Mudenſi, &c.

Nobiliſſime & Ampliſſime Domine.

CUm ante paucos dies in Hollandia eſſem, nulla me lætitia major excepit, quam quod tantam apud te vim habuiſſet commendatio D. Goddæi noſtri, ut non tantum me præſentem benevolentia ſumma complecțereris, ſed etiam cum fœnore abeuntem dimitteres. Certe quid unquam nos homulli Tibi, Heros Virorum, reponere poterimus, præter unum & quidem ſolum animum? Nam dum publicos hactenus teſtes habuiſti ubique monumentorum tuorum, etiam domeſticos acquiris humanitatis tuæ. Ego ſane, ut de me

me fatear, credo multos illic mercatores non majori deſiderio toto anno expectare autumnum ſuum ex mari, quam ego olim expectare ſolebam divitias & monumenta Hiſtoriæ tuæ. Quam cum vidiſſem, & tacite legiſſem, quomodo ſperare potui, me tecum aliquando in luce clarorum hominum tam feliciter locuturum? jam enim olim fando acceperam, poſthumum illud opus fore, ut ſunt multorum aliæ hiſtoriæ. Itaque non poterat niſi cum morte tua optari fructus ejus. Quod qui faceret, eſſet

——— *Facto pius, & ſceleratus eodem.*

Vel ut melius Bato tuus alibi ait

In ſpijt ſijns herten wreet, en ſchellemſch
tegen ſin.

non enim Belgica Latinis miſcere auderem, niſi Tu omnem iſtam gloriam à Latinis ad Belgas tranſtuliſſes, & majeſtatem totius imperii vindicaſſes. Cæterum ſi oculos tuos ſubire audebunt pauca hæc & verecunda ejus ſermonis carmina, accipe, quia ſacra ſunt, propter argumentum. Cætera enim vix mea fateberis, poſtquam veſtigia tua in iis (ne de reliquis dicam) nuda conſpexeris. Vale plurimum Nobiliſſime & Ampliſſime Domine.

Domi-

Dominus noſter omnium te diu ſibi, tibi, & tuis ſoſpitet & conſervet. D. Goddæo jam ab aliquot diebus non affui, qui procul dubio memoriam tuam, cum Clariſſimi D Barlæi recordatione ſanctam & inviolatam habet. Dabam 1645. Calendis Aprilis Stylo Juliano,

Nobilitatis & Amplitudinis tuæ obſervantiſſimus

FRANCISCUS MARTINIUS.
Paſtor Epenſis.

EPISTOLA LXII.

A Monſieur, Monſieur

STANISLAS LUBIENIETZKI de LUBIENIETZ,

à Cretniechovie.

MONSIEUR.

JE reſpons ſuccinctement à voſtre belle & longue Lettre eſcrite du 6. d'Avril dernier, laquelle me fut renduë le 18. de ce mois de Juin par la voye ordinaire de Hollande. Mais le grand circuit qu'il à fallu que voſtre lettre ait

ait fait depuis Cretniechovie ou vous eſtiez n'a pu permettre qu'elle me fuſt renduë pluſtoſt. Elle eſt tres obligeante Monſieur, & non moins remplie de pieté que de marques de voſtre erudition, & de la paſſion que vous avez de faire connoiſtre clairement aux hommes, la doctrine Chreſtienne dont vous faites profeſſion. Ce que vous en avez avancé de poſitif dans voſtre Catechiſme imprimé en François ſera ſans doute aprouvé de tous, ou de la pluſpart des fidelles qui ont medité les SS. Eſcritures: & pour le reſte dont il a plu d'eſcrire le deſſait dans voſtre Lettre, il receuroit peut eſtre un peu plus de dificulté, & principalement touchant la divinité eternelle du fils, & des perſonnes de la Trinité. Car pour les autres queſtions je penſe, Monſieur, que vous & moy en demeurerions aiſement d'accord, ne pouvant eſtre de l'avis de ceux qui defendent la lecture de la parole de Dieu, pour ſubſtituer en ſa place les legendes, & les livres prophanes: qui authoriſent par des feſtes, des choſes qui ne furent jamais: qui adorent des creatures mortelles & periſſables: qui mettent la ſuperſtition ſur les autels: qui preferent les traditions des hommes aux traditions divines: qui diminuent le culte du vray Dieu en faiſant croiſtre celuy des ſimulacres vains; & qui reçoivent les deciſions des veritez eternelles, de

la bouche des hommes pluſtoſt que des Oracles de la parole de Dieu eſcrite dans l'un & dans l'autre Teſtament. Mais ſur ce qu'il ſemble qu'aprés avoir ſi heureuſement remarqué toutes les belles prerogatives de noſtre Seigneur Jeſus-Chriſt, vous ne ſçauriez le reconnoiſtre egal au Pere: d'ou vient, Monſieur, qu'il a dit luy meſme, mon Pere & moy ne ſommes qu'un? d'où vient que la chair & le ſang ne le ſçauroit du tout reconnoiſtre fils de Dieu vivant? & que le fils de l'homme & le fils de Dieu le voyent par des yeux differents? quoy que l'un & l'autre. joints enſemble ne ſoient qu'un ſeul Chriſt mort pour nous, & reſſuſcité pour noſtre juſtification, par lequel toutes choſes ont eſté faites? D'où vient qu'il eſt dit de luy meſmes en S. Jean 12:41. Ces choſes, dit Eſaïe quand il vid la gloire de celuy & par la de luy? *Où eſt que le Prophete Eſaïe à parlé de luy ſur ce propos*: Il a aveuglé leurs yeux & à endurcy leur cœur: & *N'en ce pas au 6. Chapitre de ſa Prophetie? Ce qu'el je vous prie d'examiner tout du long, & de conſiderer ſi le meſme le fils de Dieu Jeſus-Chriſt noſtre Seigneur, n'eſt pas deſigné par ce nom* d'Eternel des Armées? *& que les Seraphins crioient autour de luy* Saint, Saint, Saint? *ce qui ne peut eſtre entendu en mon avis d'aucun autre que du grand Dieu qui a fait*

fait le ciel & la terre, & cependant c'eſt celuy la dont il a eſté parlé au lieu de S. Jean ſus allegué. Quant au S. Eſprit il ſuffit de dire qu'il eſt l'Eſprit du Pere & du Fils, pour maintenir qu'il eſt la troiſieſme perſonne de la Trinité, & Dieu meſme autheur de toute bonne œuvre & Pere du ſiecle futur. Je ne ſçay, Monſieur, à quoy peut ſervir cette difference de creance à l'eſgard des autres Chreſtiens, dont il ſemble que vous faite profeſſion: ſans mentir il n'en peut arriver aucun bien, mais beaucoup de ſcandale, & j'aprehende que contre les teſmoignages ſuffiſants des SS. Eſcritures, & contre les ſentiments de tous ces Chreſtiens Orthodoxes de l'Antiquité, vous avanciez en cela des propoſitions bien hardies qui vous faſſent pecher contre la divine Majeſté des trois perſonnes, qui ſont neceſſairement inſeparables puis que le Pere ne peut eſtre ſans le Fils, le Fils ſans le Pere, & le S. Eſprit ſans tous les deux, & cela de toute eternité, encore que les Juifs ne l'ayent pas ſi bien compris par la loy, que nous par la grace donnée par les ſeuls merites du fils, verbe devant tous les ſiecles. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. *& fait homme par ſon incarnation dans ce ſein de la Vierge Marie. Au nom de Dieu, Monſieur, qu'une Ame ſi ſainte & ſi in-*

ingenue que la voſtre, ne ſe deviſe point d'avec nous pour ce reguard: en ſerons nous meilleurs pour eclaircir beaucoup de difficultez qui ſe rencontrent en tous ces myſteres dont neantmoins il eſt impoſſible que nous puiſſions venir entierement à bout? la portée de noſtre vuë eſt bien courte, & l'obſcurité du ſujet eſt quaſi impenetrable: joint que c'eſt une grande Sageſſe, de s'en tenir à ce que nos Peres aſſemblez en tant de Conciles ſaintement convoquez en ont decidé. Sur quoy je finis pour vous remercier de vos civilitez & de l'honneur de voſtre ſouvenir, & je ſuis avec beaucoup de ſincerité

MONSIEUR,

Voſtre tres-humble & tres-obeiſſant Serviteur

MICHEL de MAROLLES
Abbé de Villeloin.

A Paris le 24. de Juin 1650.

EPI-

EPISTOLA LXIII.

CHRIST. UTENBOGARDO,

M. D.

Ultrajectum.

ECce tandem ſupra quam plurima impedimenta quibus undequaque urgeor, Vir Clariſſ. datam fidem exolvo, liberoque, ut Tibi notum faciam, me uno & eodem die, duabus horis interpoſitis, librorum faſciculum accepiſſe, per tabellarium Rothomagenſem in quo libelli 4. latebant à te commemorati, de quibus gratias ago ampliſſimas; quoſque ideo magnifacio, quia per te curiſque tuis ad me devenerunt: & epiſtolam tuam datam 3 Jan. 1651. cui ſtatim reſpondeo. *Opuſculorum Anatomicorum D. Riolani* curam Tibi relinquo, rogoque iterum memineris, *Lucretium* noſtrum Gallicè verſum valdè probo, ideoque Tibi miſſurus ſum, cum nono libro Gallico *Jo. Riolani*, hujus lemmatis, *Curieuſes recherches ſur les Eſcholes en Medicine de Paris & de Montpeliers:* in quo poſtremo, miraberis infinitam eruditiſſimi viri lectionem, rogoque ut quam primùm redditus Tibi fuerit, integrum per-

legas. Velim quoque ſcias, me *Apulejum* tuum *Pricæi* accepiſſe, de quo gratias ago: meque novam domum incolere, quam in hac vicinia emi, novem millibus aureorum: quum ad me ſcribere volueris, eodem titulo quo cœpiſti perge, mutato tamen loco, & pro *la vie des Lavandures*, ſcribe, *dans la place du Chevalier du Guet.* Spem mihi fecit Riolanus de Te, mentionem facturum *in 2. parte ſui Enchiridii*: monebo, eique aurem vellam, ut ſtet promiſſis: nunc totus eſt in concinnando tractatu *de uſu emeticorum*, adverſus Chymiſtas, quem ad editionem deſtinat. Hîc diſſectum eſt cadaver cujuſdam latronis, in quo hepar ſiniſtrum hypochondrium occupabat, lien vero dextrum: ſuper illa inſigni viſcerum mutatione, ſituque extraordinario, tractatum vernaculum idem meditatur: quidquid in lucem emiſerit, ad Te ſedulò mittetur. *Sennertum* Lugduni, nuper editum eme & Tibi habe: eſt illa ampliſſima editio, eaque optima: hîc Bibliopolæ noſtri, lucriones turpiſſimi & miſerrimi; malè compactos tres tomos vendunt 27. libellis Turon. non dubito Te *Amſtelodami* viliori pretio eos habiturum: ſed iterum moneo, eme & lege: ſi utrumque feribis, non pœnitebit; author eſt bonæ frugis pleniſſimus, & omnibus Neotericis, uno
ex-

excepto *Fernelio*, anteponendus: *Fernelium* dico, quem *Sennertus* ipſe tanquam magnum ſidus coluit, aliiſque ſingulis prætulit: ego vero eum habeo tanquam omnium artis noſtræ ſcriptorum ducem & anteſignanum, ſi tres eximii principes præiverint, nim. *Hippocrates*, *Corn. Celſus*, *&* *Galenus*, viri planè Incomparabiles, & auro contrà chari, quorum lectionem ſingulis Anatomicis & Botanicis debes præferre, omiſſâ omni περιεργίᾳ, quæ in ſcriptis Recentiorum, multiplex & nimis frequens reperitur, maximo ſtudioſorum non advertentium offendiculo & incommodo. Hiſtoriam illam vitæ & factorum *Card. Rich.* quæ Gallico idiomate apud vos excuditur, non recuſo: eam inter donaria tua aſſervabo, eritque mihi ſemper cariſſimum quidquid miſeris imprimis vero rogo Te, ut memorem habeas animum Epiſtolarum *Barlæi*. *Breviarium* illud *hiſtoriæ noſtræ Gallicæ* à quodam *Loyolita* adornatum de quo antehac ad Te ſcripſi, adhuc gemit ſub prælo: aliquot ejus folia dumtaxat vidi: aliis curis diſtractus Auctor nondum potuit abſolvere: ubi in lucem prodierit, ſi Tibi utile futurum cognovero, cum aliis mittam, quæ ad manum habuero, & quæcumque occurrent. De purpurato, noſtro Reginæ Adminiſtro, nihil eſt tam cer-

tum, quàm eum hîc omnibus eſſe odioſum aut ſuſpectum: patriæ hoſtem haberi & omnium bonorum, imò & ipſius virtutis: *vivit tamen* juxta Reginam, in multa, ſi non omnimoda auctoritate, *& finitur etiam Diis iratis, interea victrix provincia ploras.* De cypreſſi ſeminibus à Te requiſitis, agam cum amico & collega noſtro, Botanices profeſſore, *D. Blondel*, & quid è re tua, votoque tuo faciendum fuerit, libentiſſimè præſtabo: ut & de *Sibanio odorato*, de quo antehac aliquid audivi: quantulumcumque eſt poſtremum iſtud ſemen, ſummi dicitur eſſe pretii: videbo tamen, & tentabo, ut Tibi gratus eſſe poſſim. Cum aliis libris accipies quoque novum librum *Nic. Cauſſini*, ex Loyolitico grege, *de regno & domo Dei*, in quo multa habentur optima, de conditionibus in Regibus & ſummis Principibus requiſitis: unde, quia ipſe Auctor *Mazarino* diſplicuit, ex hac Urbe, *Reginæ* mandato, ſecedere coactus eſt, & in *Armoricam* provinciam, exilii ſpecie relegatus eſt: ſic exilium patitur vir bonus inter multos pravos, qui hîc lautè habentur & retinentur. *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.* Filius meus major natu Doctorali laureâ eſt inſignitus, & ordine ſuo præfuit quodlibetariæ quæſtioni, de qua reſpondit Baccalaureus: quatuor ejus

The-

Theſes in eodem faſciculo invenies: ut & carmina quædam in quoſdam agyrtas & medicaſtros venenato ſtilo non dumtaxat utentes, ſed & peſſimis ægrorum rebus miserè abutentes. Tantus hìc nuper fuit, & adhuc viget aquarum per Sequanæ alveum confluxus & concurſus, ex vicinorum fluminum nimia & penè inaudita plenitudine, ut toti noſtræ Urbi ſummum terrorem incuſſerit, validos pontes concuſſerit, quocum ædes etiam ex parte proſtraverit impetu ſuo, qui à biduo quoquomodo imminuitur lentè tamen & pigrè admodum pro ratione neceſſitatis, & civium noſtrorum voto. Aliud non habeo quod ſcribam: vive & vale, meque conſtantem amicum amare perge, & *Canterum* noſtrum cum præſentibus ſaluta. Vale, vir præſtantiſſime.

Tuus ex animo

GUIDO PATINUS, Bell: Doctor Medicus Pariſienſis, & Decanus Facultatis.

Datum Pariſiis 27. Jan. 1651.

EPISTOLA LXIV.

A Monſieur, Monſieur

CHRESTIEN UTENBOGARD,

Docteur en Medecine.

A Utrecht.

DUm pergerem ad Illuſtriſſimum virum *D. Thuanum*, in Pariſienſi Senatu Præſidem, intra paucos dies hinc diſceſſurum, ut apud Fœderatos veſtros Ordines Legatum agat Regis noſtri Chriſtianiſſimi, fortè offendi virum optimum, Illuſtriſſimi legati culinæ Præfectum jampridem mihi notum quique bona fide ſe mihi obſtrinxit huncce faſciculum Tibi meo nomine redditurum, in quo reperies *ſemina cypreſſi*, *abietis & phyllirheæ*, quæ Tibi poſtremâ meâ pollicitus ſum. Promiſſa mihi ſunt aliquot grana *ſeminis illius Seanii triſtis Ambicani*, *noctu olentis*, quæ ſi dentur, protinus ad te mittam. Interea vale, & me ama, meoque nomine ſaluta viros Clariſſimos D. D. *Vander Linden*, *Mart. Schoockium*, & alios ſi qui ſint qui faveant

veant rebus noſtris. De *Riolani* obitu antehac ad te ſcripſi. Vale,

Tuus in æternum

GUIDO PATIN.

Pariſiis, die Jovis, 29. Martii, 1657.

Legatus ille noſter ad Batavos Dom. *Thuanus*, filius eſt Clariſſimi viri *D. Jacobi Auguſti Thuani*, in Senatu Pariſienſi Præſidis infulati, qui obiit anno 1617. qui cùm eſſet vir præſtantiſſimus ac eruditiſſimus, ſui temporis hiſtoriam conſcripſit Latinam, ſtylo elegantiſſimo, quinque tomis editam Genevæ: eſt autem hæc editio omnium optima.

Fratrem habuit legatus ipſe majorem natu, dictum Franciſcum Auguſtum Thuanum, Comitem Conſiſtorianum, qui Lugduni ad Ararim *obiit* anno 1642. 12. Sept. *juſſu Cardinalis Richelii, peſſimi & nequiſſimi Tyranni, qui utinam ſummo totius Europæ commodo, eodem ipſo die quo natus eſt, infelicem animam exhalaſſet.*

A ſex menſibus hîc obierunt quatuor ex Collegis noſtris viri præſtantiſſimi, *D. Car. Guillemeau*, *Renatus Moreau*, *Carolus le Clerc*, *& Joannes Riolanus.* Vale, & me re-

da-

damantem, quod egregiè facis, amare ne deſine.

29. Martii, 1657.

EPISTOLA LXV.

A Monſieur, Monſieur

CHRESTIEN UTENBOGARD,

Docteur en Medecine,

A Utrecht.

MONSIEUR.

IL *n'y a pas long-temps que je vous eſcrivis une lettre laquelle j'addreſſai à* M. vander Linden, *Profeſſeur à Leide, pour vous la faire tenir: dans icelle je vous rendis compte de ma ſanté, & comment j'eſtois ſorti d'une grande maladie l'automne paſſé: mais voici une autre occaſion, laquelle eſt ſurvenüe fort inopinement à mon endroit, & à laquelle je ne penſai jamais, m'oblige adjourd'hui de vous eſcrire derechef: Je ne doubte pas que vous ne ſachiez l'affaire toute entiere, & mieux que moi: c'eſt que* M. Martinus Schoockius, *voſtre bon ami, & fort ſçavant homme, duquel*

quel m'avez autrefois, de voſtre grace, procuré la connoiſſance & l'amitié, a fait un livre de Cerviſia, *qu'il m'a fait l'honneur de me dedier, dont je me tiens tout glorieux, mais je ſuis tout eſtonné de la bonté qu'il a eüe de ſonger à moi, parmi tant d'autres ſçavants & d'honneſtes gens qui ſont dans l'Europe Latine: Cela me fait connoiſtre comme je vous ai tant plus d'obligation pour voſtre bienveillance & affection envers moi: auſſi ſuis-je en une nouvelle peine, de ſçavoir ce que je pourrai faire à l'advenir, tant pour voſtre ſervice, que pour teſmoigner ma gratitude à* M. Martinus Schoockius: *auquel je vous prie de faire ſçavoir que j'ai receû le 5. de ce mois preſent de Janvier, 1662. le pacquet de livres qu'il a eu la bonté de m'envoier, dans lequel j'ai trouvé deux Exemplaires dudit livre* de Cerviſia, *avec 4. autres Traittez de ſa façon, qu'il y a adjouſtez, ſçavoir* de Ecſtaſi, 4. de Nihilo, 8. de Figmento Legis Regiæ, 12. & de Fœnore Unciario, 8. *J'avois desja ceans d'autres Traittez de ce meſme Autheur, ceux qui ſuivent.* de Harengis, 8. Imperium maritimum, 12. Tractatus de pace, 12. Julius Cæſar, 12. de ſignaturis fœtus, 8. *Je penſe n'avoir que cela de ſes œuvres, leſquelles ſont toutes bonnes & ſçavantes: c'eſt pourquoi je vous ſuplie treshumblement de me don-*

donner advis des autres Traittez qu'il peut avoir compoſez, de quelque nature ou matiere qu'ils ſoient, de Theologie, Philoſophie, Medecine, ou Politique; car je ſçai bien qu'il a exercé ſon eſprit dans toutes ces ſciences, & qu'il y a reüſſi: voire meſme j'oſe vous prier, ſi ces autres livres ſe peuvent rencontrer; de me les faire achetter, afin que je puiſſe dire que je poſſede tous les Livres que ce ſçavant homme a faits: je ſuis preſt de rendre au quadruple tout l'argent qui aura eſté emploié à leur achapt, & encore d'y adjouſter par deſſus le marché, tout ce qu'il vous plaira avoir de deça: Nous avons ici in folio, les Operations de Chirurgie de François Tenerim, Chirurgien du Roy: *que je vous envoieray ſi ne ces avez. Mais auſſi faut il que ſoyez adverti, que j'ay auſſi quelques* Theſes de M. Schoockius, *dont voici les tiltres, afin que s'il s'en trouve d'autres, depuis celles-ci que je vous ſupplie de me les acheter. Voici donc celles que j'ay.* De Somnio. 1642. De Ideis. 1645. De Glacie. 1646. De hyeme. 1646. De modo Viſionis. 1646. An intellectus brutis attribui poſſit. 1646. De convenientia orbis cœleſtis ac elementaris prima. 1648. De Diſcurſu. 1651. De Acroaticis & Exotericis ſcriptis Ariſtotelis. 1652. De Anima. 1653. De corporum naturalium principiis

piis conſtitutivis. 1654. De numero Stellarum, prima. 1655. *Il peut en avoir fait beaucoup d'autres devant & depuis ces temps-là, ſi vous les pouvez recouvrer, vous m'obligerez de meles envoyer, & j'en rendray tel prix qu'il vous plaira: & meſmes, il peut avoir fait quantité d'autres petits livres, pour leſquels je vous demander la meſme grace, de me les achepter, & puis apres, de me les envoyer par voye commode. Il eſt ſi ſçavant & ſi habile homme, que je ſerois ravi d'avoir tout ce que fait, & en avoir bien payé. Mais j'ay encore bien autre choſe à vous dire: donnez moy conſeil là deſſus: il m'a dedit* un beau livre, *& m'a fait honneur: je le veux remercier par eſcript, & par effet: queſtes vous d'advis que je lui envoye? que le ſorte de preſente. an en livres? en or? ou en argent? eſt il vieux? eſt il riche? eſt il marié? a-t'il des enfans? donnez moy, s'il vous plait là-deſſus, voſtre bon conſeil, que j'ay bien envie de ſuivre de point en point: mais je ne veux point qu'un ſi honneſte homme trouve en moy de l'ingratitude, dont je ſerois tres-marri: je l'honnore bien fort, & voudrois bien avoir le moyen de le ſerois; mandez moy, je vous prie ce que vous voulez que je face en ce rencontre.*

Nous n'avons rien de nouveau in re literaria;

ria; *tous nos Princes ont bon appetit: le Roy, la Reine & M. le Dauphin, ſont en bonne ſanté, Dieu merci. On parle tousjours du voyage d'Alſace pour le mois d'Avril, mais cela eſt fort incertain. M. Nic. Fouquet*, olim Gazophylax noſter, *eſt tousjours priſonnier dans le Bois de Vincennes: on dit qu'on l'amenera bientoſt dans la Conciergerie: c'eſt la priſon du Palais*, qui eſt pravi ominis: metuendum enim eſt illi ne tandem inde trahatur ad ripam Sequanæ, indeque ſequatur ſuſpendium.

Ce Kal. de Janvier, 1662.

D'autres diſent que ce proces là de M. Fouquet ne ſe peut pas juger ſi-toſt; qu'il y aura bien des oppoſitions en attendant; & meſmes il y a déja un homme qui s'eſt declaré hautement contre M. Colbert, *Threſorier du feu Cardinal* Mazarin: *lequel* Colbert *eſt reputé & eſtimé eſtre le chef principal des accuſateurs dudit Fouquet: cet homme qui s'eſt declaré, ſe nomme* M. Michan, *qui a fait proteſtation de voulir eſtre perdu par ſon coû, s'il ne prouve clairement au Roy, que le dit* Colbert *a volé pour ſa part plus d'onze millions de livres: cela fait croire à pluſieurs, que le procedé de la chambre de Juſtice pourra bien changer. On tient que le Cardinal de Rais a fait ſon ac-*

accord: qu'il eſt dans les bonnes graces du Roy; & meſmes, qu'il eſt en eſtat de revenir, & en faveur plus grand que jamais. Dicam verbo, magnæ multæque mutationes & rerum converſiones hîc imminent: *je ne veux pas dire de lui ceque Suetone a dit autrefois de Tibere, en un certain bel Epigramme:*

——— regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab exilio.

Car ce Cardinal eſt bon & genereux, il aime l'honneur, & le penſée auſſi: ce defunct Card. Mazarin *eſtoit un vilain Italien, infame & grand Tyran.* Dii meliora! *mais en attendant mieux, dites moy je vous prie,* quî valet Voetius, Doctor infinitæ lectionis? *Eſt il vray que l'on imprime à Roterdam, toutes les Oeuvres du grand Eraſme, qui eſt l'honneur de voſtre païs, & de toutes vos Provinces Unies?* intelligo Belgium fœderatum, cujus libertati & potentiæ maritimæ audio Anglos, vicinos veſtros, inſidias ſtruere, præſertim pro captura harengorum: malè ſit iſtis nebulonibus, qui vobis tam agentibus invident: videntur iſti lupi devorare velle totam Europam, quod bellè faciunt Loyolitæ, & alii Monachi. Parce peſſimæ meæ ſcriptioni, imò picturæ: ſunt enim adhuc ex mor-

bo manus mihi languidæ. Vale, & me ama.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN.

Datum Pariſiis, die Mercurii, 19. Jan. 1661.

EPISTOLA LXVI.

A Monſieur, Monſieur

UTEMBOGARD,

Docteur en Medecine,

A Utrecht.

MONSIEUR.

JE vous ai par ci-devant eſcrit le mois paſſé, par la voie de M. vander Linden, *tant pour vous donner de mes nouvelles, que pour vous remercier de l'honneur que m'avez procuré par* M. Martinus Schoockius, *qui a eu la bonté de me dédier un livre* de Cerviſia, *& de m'en envoier deux copies, avec quelques autres petits livres de ſa façon: je vous en ai à tous deux grande obligation, mais je voudrois bien ſçavoir tout ce qu'a fait ce galant hom-*

homme, pour taſcher de le recouvrer, ou par voſtre moyen, ou par quelque autre: c'eſt dequoi je vous ai auſſi prié par ma derniere, & vous y ai indiqué les diverſes pieces que j'avois de luy: qui eſt ce dont je vous prie encor aujourd'hui; comme auſſi de me mander s'il vous plaiſt, qui eſt ce M. Mart. Schoockius: *s'il enſeigne encor actuellement la Philoſophie: quel âge il a, s'il eſt marié, & s'il a des enfans: je voudrois bien pour taſcher de le recompenſer de ſa bonne volonté, & de l'honneur qu'il m'a fait, lui envoier quelque preſent de deçà, ſoit en livres, ſoit en argent, ou en quelque autre façon,* ut tandem agnoſcat gratum meum animum. *Je vous prie là-deſſus de me dire ſincerement voſtre advis, comme auſſi de m'apprendre s'il a mis ſous la preſſe, ſon livre nouveau* de Fermentatione, *duquel il m'a fait l'honneur de m'eſcrire. Quand il vous plaira me donner voſtre advis ſur tous ces poincts, vous pourrez envoier voſtre reponſe* à Leide, chez M. vander Linden, *qui me la fera aiſement tenir: & en attendant, ſi vous voiez ledit* M. Mart. Schoockius, *je vous prie de l'aſſeurer de mes tres humbles ſervices: comme auſſi à un autre honneſte homme de ce meſme païs, nommé* Antonius Deuſingius, *que je penſe eſtre un Profeſſeur en Medecine, qui a desja eſcrit pluſieurs traittez*

que j'ai ceans, & dans quelques uns deſquels il m'a fait auſſi l'honneur de me nommer; ſi l'occaſion s'en preſente, je vous prie de lui teſmoigner & lui faire connoiſtre le gré que je lui en ſçay, & de lui offrir mes treshumbles ſervices de par deçà.

Pour des nouvelles de ce païs, je ne vous en ſçaurois dire; la chambre de Juſtice continüe toûjours contre les partiſans: M. Fouquet *eſt toujours priſonnier dans le bois de Vincennes, mais on ne lui a encor rien dit. Je me porte, Dieu merci, fort bien preſentement, & tiens ma ſanté toute reſtablie: il court ici un bruit ſourd, que le Roy d'Eſpagne eſt mort; mais cela n'eſt point encor bien certain. On parle ici du retour de* M. le Preſident de Thou, *vôtre Ambaſſadeur: on dit que le Roy eſt fort content de luy, & qu'il aura l'Ambaſſade de Suiſſe; je luy en ſouhaite davantage, veu qu'il le merite bien.* Vale & me ama.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN.

De Paris, ce 8. de Fevrier 1662.

EPI-

EPISTOLA LXVII.

Clariſſimo Viro,

D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Ultrajectum.

Vir Clariſſime.

QUod tres meas ante hac ad te ſcriptas feliciter acceperis, apprime gaudeo, ut & de reſtituta mea valetudine, pro qua me debere fateor gallum Æſculapio. Popularem Tuum *D. Godin* ex animo ſaluto. Quod meas ad *D. Schoockium* literas miſeris, gratias ago. Si reſponſum aliquod ad te mittat pro me, mittes, ſi volueris, *Leidam*, ad Amicum noſtrum *D. vander Linden*: vel Amſtelodamum, ad quemdam Pariſinum qui vocatur *Simon Moynet*, habitantem apud *Ludov. Elſevirium*, ejus Typographæi directorem & Emendatorem, qui ſingulis ſeptimanis ſcribit in hanc Urbem ad *Lud.* illum *Elſevirium*, qui hîc degit ab aliquot ſeptimanis. De libris *M. Schoockii*, ſive libellis quos non habeo, gratum facies ſi mihi redemeris: illos habere me fateor quos ſcripſiſti, nempe *Diſſertationem Politicam de bonis Eccleſiaſticis*: ut & *Epi-*

ſtolam ad Hornebeekium: cum *Exercitationibus ſacris, & de Præciſitate*, quos revera accepi, munere tuo, per fratrem Authoris, & pro iis gratias egi per Epiſtolam, quæ fortaſſe tibi reddita non fuit, neſcio an per viam perierit. Nunc verò quid novi moliatur noſter *M. Schoockius*, & an ſuum de *Fermentatione* librum prælo ſubjecerit, aut quid aliud, ſcribes ſi noſti. De conſilio quod antehac à te poſtulavi, quî nimirum cum *Cl. illo Viro* me gerere deberem, ut gratias illi agerem, dubium & incertum me reliquiſti: faciam tamen, & rem ipſam perficiam atque expediam, datâ aliquâ occaſione quam expecto. Veſtratem illum Theologum, virum trucem & cerebroſum, atque pervicacis ingenii, non amplius moror, nec in poſterum morabor. Dii meliora! habetis enim apud vos ut video, Sinones quoſdam & Loyolitas, qui res veſtras non minus turbant quàm noſtri noſtras. De nova editione *Operum Eraſmi*, ſpes tantum affulget, nec enim tantum Opus dicitur inchoatum. Faſciculum adornabo priuſquam noſter *Elſevirius* in Patriam ſuam revertatur; in quo reperies *Fr. Tevenin Operationes Chirurgicas*, cum *hiſtoria Eccleſiaſtica Ant. Godeau:* de Colloquiis *Ant. Oudin*, inquiram, &, ſi proſtent, mittam ut requiris. *Geranii Noctuolentis* plantam habeo: qui plan-

Digitized by Google

plantam illam mihi dedit, ejuſque ſemen mihi promiſit, quod ad te mittam cum aliquot ſeminibus mihi traditis, quæ ſingula includam in aliqua pyxidula: in ea deprehendes quæ petiiſti. Audio *Groningæ* vivere Medicum quendam eruditum, *Ant. Deuſingium*, Polygraphum, & multorum librorum Authorem; ſi eum noſti, & amicus tibi fuerit, velim ſalutes meo nomine: &, ſi æquum judicaveris, ut in amicitiam ejus penetrem, ad eum ſcribam, ut intelligat ſe ipſum à me coli & honorari, cujus cauſas penes me habeo. Idem quoque à te poſtulo pro alio Profeſſore Batavo (fortaſſis *Alcmariano*) eruditiſſimi Viri filio, & ipſo eruditiſſimo, cujus notitiam & amicitiam demereri vellem: *Reinerus Neuhuſius* vocatur, *Edonis* filius. Iſthæc pro judicio tuo reges atque temperabis: & ſi utriuſque Viri memineris, gratiſſimum mihi facies. De rebus noſtris publicis nihil hîc habemus novi, præter omnigenæ annonæ, & præſertim panis nimiam caritatem. *Nic. Fouquet*, antehac *Ærarii præfectus*, in carcere detinetur, & adhuc ſub judice lis eſt: nihilominus tamen dicitur Rex noſter tale negotium terminari velle intra Paſchalia. Dicebatur Rex iturus in Alſatiam proximo menſe Majo: ſed rejecta dicitur iſthæc expeditio in Septembrem. De nobis comparando, vel vi,

vel pretio, Ducatu Lotharingiæ, dicitur conſopitum negotium. Qui *Byzantio* ſcribunt, nuntiant Janiſſariorum fraude & rebellione ſtrangulatos eſſe duos ex aula Turcica primarios viros, nempe *Papam Turcarum*, quem *Muphti* nuncupant, & magnum *Vizirium*: Deus forſan aliquando permittet ut tantum Imperium pravis ejuſmodi militum artibus pereat; quod utinam citò contingat in Orbis Chriſtiani commodum. De *Anglia* vobis vicina nihil ſcribo, dicitur tamen *Luſitanica Virgo Londinum* intra menſem ingreſſura. Vale, Vir præſtantiſſime, meque quod hactenus feciſti, licet immerentem amare perge, & me magno voto damnabis. *Datum Lutetiæ Pariſiorum, die* 14. *Martii*, 1662.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN.

EPI-

EPISTOLA LXVIII.

Clariſſimo Viro,

D. D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Sanctioris Medicinæ Doctori eximio,

Ultrajectum.

Vir Clariſſime.

DE amore in me tuo forti & conſtanti, ut & de fide tua nullus dubito: dubius tamen ſum, an acceperis omnes meas Epiſtolas, ut & munuſculum pro ſingulari Amico, & viro *Cl. D. Mart. Schoockio*, *ſex piſtolarum Hiſpanicarum*; de quibus ſingulis reſponſum tuum valde exopto. Quotieſcumque voles ad me ſcribere, vel aliquos libellos mittere, tutò mitte quidquid habebis *Amſtelodamum*, ad *Sim. Moinet*, in Typographæo *Elſeviriorum* commorantem. Quandonam veniet liber novus, *D. Mart. Schoockii, de Fermentatione?* Hîc uno & eodem die, duos ex Senioribus noſtris Collegis amiſimus, 27. Maji, nempe *Rob. Tulloüe*, annorum prope 80. Alterum, *Jo. de Bourges*, penè ſeptuagenarium. Quindecim adhuc me præcedunt, quos

Digitized by Google

forſan poſthac præcedam ſi Mors intervenerit. *Sortes meæ in manibus Domini.* Æquo animo ferendum eſt, & jucundè accipiendum quod evitari non poteſt. Lætus ergo pergam, *quò pius Æneas, quò Tullus dives & Ancus* antehac penetrarunt: *Conſtat enim & æterna lege poſitum eſt, ut conſtet genitum nihil: pulvis & umbra ſumus.*

Rex noſter videt ac exultat, nec niſi ludit, dum novum Tribunal ab ipſo inſtitutum quotidie verſatur in inſtruenda lite *Nic. Fouquet*, & multorum Publicanorum incarceratorum: unde manabunt multæ lacrymæ, in pluribus familiis: interea vero magnis ſumptibus, in gratiam Regis, Principum & aliorum Procerum inſtituuntur equeſtres ludi, ſtatim magna pompa celebrandi: nulla habita ratione caritatis annonæ, quæ hic maxima eſt, ſummo multorum dolore atque incommodo. Sic vita truditur Regum & mendicorum. Sed profectò *res eſt non ſatis ſobria, laſcivire devorato orbe terrarum*, ac exhauſto per immodica vectigalia, dum tot Chriſtiani malâ fame miſerrimè pereunt. Plura ſcriberem, niſi publicus dolor vetaret, & calamitates publicæ me privatim afficerent, ne dicam interficerent, aut ſaltem à bona mente, & quieto rerum mearum ſtatu turpiter averterent. Vale, vir præſtantiſſime, vive, fave, ac me

quod

quod facis, amare perge. *Pariſiis, Martis, 6. Junii, 1662.*

Tuus ex animo,

GUIDO PATIN.

EPISTOLA LXIX.

Clariſſimo Viro,

D. D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Sanctioris & Sanioris Medicinæ Doctori præſtantiſſimo,

Ultrajectum.

POſtremas tuas accepi, Vir Cl. 21. *Junii* datas, quæ me non mediocri gaudio affecerunt, per quas nimirum didici te vivere & valere. Te *Divæ Mariæ Canonicum* factum eſſe; (neſciebam talem apud vos eſſe conſuetudinem) Teque accepiſſe per *Elſevirium*, librorum faſciculum Tibi deſtinatum. De Mercatorum avaritia non miror: ubique terrarum palmam obtinet: accipe rationem ex Tullio, 2. *Offic.* qui ſic loquitur: *Nihil ingenui*

genui habet officina. Juvenis Chirurgi veſtratis, qui tuas mihi reddidit, rationem habebo: inviſam illum apud herum illum Chirurgum, apud quem moratur, eumque illi commendabo de meliore nota: quod ſi ope vel opera mea indigeat, officio meo non deëro; erunt enim mihi ſemper cariſſima, quæcumque commendaveris. Utinam placeat faſciculus quem accepiſti: & alia mittam ſi innueris. Quî ſe habet Amicus noſter *D. Mart. Schoockius?* quid nobis ſupereſt ſperandum de ejus libro, *de Fermentatione.* Si Filium natu maximum velit in hanc Urbem mittere, ut ſtudeat & diſcat Gallicè loqui, eum tanquam Amici filium excipiam in his ædibus meis, in quibus eum educabo per ſex menſes, & totam civitatem maximam atque populoſiſſimam luſtrabit, abſque ulla penſione: erit ille mihi gratus atque gratuitus convictor: quam quidem conditionem rogo te ut offeras proponaſque eruditiſſimo Parenti, qui eum ad nos mittet quando voluerit. Nec erit quod ille metuat à fame; ſingulari Deo beneficio nobis ſingula ſuppetunt ad arcendam famem neceſſaria, vinum in cella, triticum in horreo, & pecunia pro reliquis ad vitam requiſitis. Hîc nuper ex Ordine noſtro Doctores Medici quatuor obierunt, & ad locum illum communem abierunt, *unde negant redire quem-*

quam: Illi ſunt *Rob. Tulloüe*, anno æt. 78. *Joannes de Bourges*, anno 67. *Jo. Gorræus*, ann. 85. & *Jo. Chartier*, Prof. regius, anno 52. Saluto nobilem tuum popularem *D. Godin*, & alios amicos, præſertim *D. Canter*, qui de Chirurgo veſtrate ad me ſcripſit: aliàs illi reſpondebo, nec enim hodie mihi licet per otium. Vale, Vir Cl. & me amare perge.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN.

Pariſiis, x. Julii, 1662.

EPISTOLA LXX.

Clariſſimo Viro,

D. D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Sanctioris Medicinæ Doctori eximio,

Ultrajectum.

POſtremam tuam accepi, Vir Cl. eodem die quo *Jo. Droüart*, populari veſtro Chirurgo, meas tradideram Tibi reddendas, in qui-

quibus una latebat pro Amico noſtro *D. Mart. Schoockio*, quas te accepiſſe nullus dubito. Et ut veniam ad Tuas; quod per eas voluiſti, exactè & ad unguem præſtiti: ſtatim enim ſcripſi conſolatoriam Epiſtolam, miſique *Biturigas*, *ad Joan. Heurnium*, tuum ex ſorore nepotem: monuique ut ſtatim adiret *M. Lud. Ferrand*, præclarum in illa Urbe Medicinæ Doctorem, & veterem Amicum, cum quo ageret *de laurea ſua Doctorali*, ſi vellet in iſta Academia Doctor fieri: ſin minus, *Lutetiam* revertatur; & poſtquam hîc per aliquot menſes ſtuduerit, conſilium ambo capiemus, atque decernemus *de loco ſui Doctoratus*. Et hæc omnia ad mentem tuam. Si ad nos redeat, ejus ſtudiorum curam habebo, & in eorum partem deſcendam: quod optima fide Tibi polliceor, ejuſque Parenti optimæ, quam ex animo ſaluto: & utinam aliquo modo illi utilis eſſe poſſem, tam proprio ejus nomine atque tuo, quàm *Jo. Heurnii*, *Hippocratis veſtri Batavi*, qui eodem anno olim obiit, quo ego primùm lucem adſpexi; cum quo illa gradu affinitatis conjuncta eſt. Pro libris quos emiſti mihi, gratias ago quàm poſſum maximas: quorum & aliorum qui ſequentur, rationem habebo, pro impenſis à te factis. Librum meum *de fabula Hamelenſi* ſibi retinuit Vir Illuſtriſſ.

D.

D. Gul. de Lamoignon, Pariſ. Senatus Princeps eumque habet cariſſimum. Heri cum illo cœnavi quod ſæpe contingit, & inter varios ſermones de re literaria, quibus admodum delectatur, etiam *D. Mart. Schoockii* mentionem injeci, quæ aliàs ut ſpero, non ſine aliquo fructu recurret. Quod ſi ſcire velis, quænam & quanti momenti ſit illa dignitas *Principis, ſive primarii Præſidis in Senatu Pariſienſi*, paucis Tibi reſpondebo; hoc eſt & idem eſt, quàm eſſe *Regulum in Gallia: un petit Roy en France.* Chriſtianiſſimus Rex noſter *Lud.* XIV. quem Deus ſervet in multos annos, heri, (poſtremo Nov.) ex hac Urbe diſceſſit, magno comitatu ſtipatus, *Dunquerkam* petiturus, quam nobis magno pretio *Anglus* reddidit. Utinam ſalvus & incolumis ad nos brevi revertatur, re tutò confecta, & firmato noſtro limite, contra vicinorum noſtrorum inſidias. Pernicioſa quædam & planè diabolica *in Angliæ Regem* conjuratio, nuper detecta fuit *Londini*: ex qua *perituros audio multos*, quod ſcripſit olim *Juvenalis, ubi de Sejano, Sat. X magna enim eſt fornacula.* Bene ſibi non conſtat iſtud regnum, licet Oceani fluxu atque refluxu cinctum, propter nimiam illam *Religionum* varietatem atque mixturam: adde quod *Angli* faciunt in rerum Natura, lupinum quoddam hominum genus, mul-

multæ nimirum feritatis atque ferociæ: ſunt enim iſti feri, feroces atque ferini, ſupra alias gentes. *Papa* nondum rediit in gratiam cum *Rege* noſtro: unde quidam bellum expectant Vere proximo, quod non puto: *impar congreſſus Achilli:* ſi ſapiat *Jupiter ille Capitolinus*, in bellum non deſcendet *cum illo Imperatore qui habet pluſquam* 30. *legiones.* Optimam illam Sororem tuam tanquam meam ſaluto. Vale, vir præſtantiſſime, amiciſſime, mellitiſſime, meque quod facis amare perge. *Pariſiis*, 1. *Dec.* 1662.

Tuus ex animo,

GUIDO PATIN.

Nonne adhuc vidiſti librum viri doctiſſimi, *D. Samuelis Bochart*, *Eccleſiaſtæ Cadomenſis*, editum *in Anglia*, *de Animantibus ſacræ ſcripturæ*: nullum adhuc exemplar in hanc Urbem delatum eſt, ſed à viris literatis in dies expectatur. Author ipſe vir magnus eſt, & ejus liber magnæ expectationis, utpote qui multis futurus eſt utilis, ne dicam neceſſarius. Quî valet erudita veſtra virago, *D. Maria de Schurman*? De *Nic. Fouquet*, adhuc incarcerato, altum ſilentium. *Vale vir optime, & me ama,*

Tuum ex aſſe PATINUM.

EPI-

EPISTOLA LXXI.

Clariſſimo Viro,

D. D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Sanctioris Medicinæ Doctori eximio,

Ultrajectum.

ANte paucos dies, Vir Cl. monitu *Jo. Droüard*, Chirurgi veſtratis, literas ad te dedi, *cum Epiſtola ad Sim. Moinet*, pro qua te rogabam, ut ei tutò redderetur: Nunc autem alia de cauſa ad te ſcribo, pro qua te rogatum velim, ut ignoſcas meæ curioſitati. *Samuel Mareſius*, gente Gallus, ut & Eccleſiaſtes in Hollandia, vir ſanè eruditus, & multæ lectionis, multa hactenus edidit tam *opera* quàm *opuſcula*, per quæ mihi innotuit, & ex quibus multa habeo: nuper autem incidit in manus meas *omnium ejus operum Nomenclator*, ex quo facilè cognovi quàm multa mihi deeſſent, quorum *Catalogum* ecce ad te mitto, rogoque ut per aliquem Bibliopolam veſtratem, ea mihi quærantur, ac emantur: pro quorum emptione impenſam pecuniam ſtatim Tibi repræſentabit noſter

Simon Moinet. In toto illo *Indice* eorum quæ mihi deſunt, quem ad te mitto, plura ſunt *Opuſcula* quàm *Libri:* ſed nihil refert, qualiacumque ſint, modò habeantur. Cogita ergo de illis recuperandis, quantum fieri poterit: & me quam maximo beneficio Tibi obſtrictiſſimum habebis. De pretio reſtituendo ne cures quidquam, totum lubens & facilè refundam. Amicus noſter *D. Mart. Schoockius*, quî valet? quid novi molitur? Nova ejus editio *de Cerviſia, & de Fermento*, quomodo procedit? quid cogitat de Filio ad nos mittendo? Regina noſtra filiolam peperit, *die* 18. *Nov.* Rex noſter cis paucos dies iturus eſt *Dunquerkam*, unde poſtquam reverſus fuerit, dicitur etiam media hyeme, miſſurus in Italiam exercitum contra Papam, ſub auſpiciis atque ſumma dictatura *Principis Condei*, qui ſibi vicarium habebit egregium bellatorem, *Dominum du Pleſſis-Pralin*, Galliæ Polemarchum. *De Nic. Fouquet, ne γρῦ* quidem. Scias autem velim, nos habituros Regem Hiſpaniæ nobis faventem in bello iſto quod adverſus Jovem Capitolinum gerere meditamur. Sed longè fortiores futuri ſumus, ſi Deus Regi noſtro favere pergat. *Voetius* veſter quid novi tentat? ſiletne, ac otioſus remanet Magiſtratus veſtri decreto? melius eſt tacere quàm malè agere.

Va-

Vale, Vir Cl. & me ama. *Datum Pariſiis, die 25. Novembris*, 1662.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN, Doctor Med. Pariſ. & Profeſſor regius.

EPISTOLA LXXII.

Nobiliſſimo Viro,

D. STANISLAO LUBIENIETZKY de LUBIENIETZ,

Equiti Polono.

Hamburgum.

Vir Nobiliſſime.

LUculentam abs te epiſtolam ac rerum mathematicarum fruge plurimâ refertam proximis diebus accepi: quam iterum iterumque perlectam ad Clariſſimum Scheffe- rum Ubſaliam confeſtim miſi, additis precibus, ut quicquid ab artium liberalium pro-

feſſoribus, quorum ingens illa in civitate eſt copia, ad id argumentum uberius illuſtrandum, poſſit corradere, ejus poteſtatem uti mihi quam primum faciat. nec virum cætera humaniſſimum huic meæ petitioni refragaturum opinor. Tibi interim grates immenſas ago, qui ſpecimen eximium eruditionis tuæ ad me hominem ut litterarum admodum amantem ſic litteris tenuiter inſtructum volueris pervenire: operamque, quantam poſſum conferre, dabo, ne te tam profuſæ benignitatis umquam pæniteat. Novum ab amicis Ubſalienſibus cometam obſervari cœptum eſſe ſignificabam proxime. Poſtea is ipſe & mihi quoque & aliis in hac civitate compluribus eſt conſpectus. qui quamquam formâ alteri illi parum reſpondet, tamen ab eo diverſum ſtatuere vix auſim. Nam quod Illuſtriſſimus Regni hujus Drotzetus credi heſterno die in familiari colloquio volebat, duos diverſos nunc eodem comparere tempore, idque ex hominibus fide digniſſimis ſe accepiſſe addebat, nemini, niſi mihi teſti oculato, ſum crediturus hanc rem. Ante diſceſſum proximi tabellarii auguror fore, ut plura hujus argumenti ſint in promtu, quæ tecum communicare poſſim. Quamquam, quod & alias monuiſſe me recordor, magis magiſque de die in diem deprehendo, deeſſe hic terrarum

rarum

rarum ſufficientem copiam tuborum opticorum atque id genus apparatus mathematici, quorum operâ exacte erudiri in cœleſtium rerum obſervatione poſſimus.

Exſpectatur in hac aula propediem à fœderatis Belgis decreta extra ordinem Legatio. per quam an debitum ex pactorum lege adverſus Britannos auxilium impetrari mox detur, ante autumnum proximum videbimus. Suecis interim procraſtinationem hanc ignoſco, cum appareat ipſos etiam Danos tergiverſari, & officio deeſſe, in quos tam recentia, tam luculenta fœderatorum Belgarum exſtant merita. Convenere jam denuo poſt res prolatas Proceres in hanc aulam, niſi quod præfectus ærarii cum febre conflictari dicitur. Drotzetus podagrâ aliquamdiu tentatus commode nunc ſe habet. Quo conſilia Senatus Regni nunc ſit directurus brevi manifeſtum fiet. Interim vectigal æri, ferro, ſali adauctum eſt. A Pelſio rariores jampridem accipio: cujus poſtremis reponendum nonnihil duxi, ut vides. Jacobum Golium ad tuas non reſpondere haud miror, cum nihil præter ſolitum faciat. Eſt enim hac in parte ſupinitati nimium indulgens, qui amicos abſentes aut raro aut numquam reſponſo dignetur. Minimum tamen hic perdidiſti. Quid enim obſervationis mathematicæ exſpectes

Digitized by Google

à ſenecione, & quidem noctes integras utramque in aurem ſecure ſtertenti? Vale.

Nobiliſſ. nomini tuo devotiſſimus

N. H.

Holmiæ Suecor. CIↃ IↃ CLXV. a. d. XXII. Aprilis Gregor.

XIII. EPISTOLÆ
V.C. NIC: HEINSII DAN. FIL.
Ad

Nobilem Polonum

STANISLAUM LUBIENIECIUM.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXIII.

Vir Nobiliſſime.

ABſunt jam diem ſextum ab hac aula Proceres ruſticatum digreſſi, redituri ad res prolatas, ut opinor, die craſtino. Non eſt igitur, quod longas rerum novarum Iliadas nunc à me exſpectes. Quid quod emigrandum mihi cras eſt ex hiſce, quas inhabitavi totum jam quadriennium, ædibus? quare totus nunc ſum in convaſandis ac transferendis inde ſarcinis in aliam domum. Ut, ſi argumentum ſcriptionis uberrimum ſit in promtu, quod nullum eſſe jam dixi, tamen neceſſitas me cogat brevitati ſtudere. Nudius tertius binas ſimul abs te accepi, una cum apographo ejus epiſtolæ, qua Chriſtianum Hugenium Viri Illuſtris Conſtantini filium compellandum duxiſti. ejus lectione mirifice ſum adfectus. nec minus alterius epiſtolæ, quæ mihi ex tuis perierat. Illud in tranſcurſu liceat tamen monuiſſe, quod Julium Scaligerum patrem cum Joſepho filio videris confudiſſe. Joſephus inter Lugdunenſes meos vixit aliquamdiu, & apud nos ſepultus eſt. eo præceptore fuerat uſus meus pater. Julius Aginni ſepultus, ni fallor, Bataviam noſtram nuſquam viderat. Sed hæc exigui plane ſunt

momenti. Epiſtolas, quotquot ex meis, tua opera ad me pervenerant, relegi, & inter legendum emendavi, vix adhibita tamen cura. Tu vide, ne dum nomen meum inter tot rei litterariæ ſplendere vis lumina, iis noceas quam maxime, ac meæ exiſtimationi haud proſis. Rudbeckianæ procraſtinationis tam frequens illic fit mentio, ut jure vir ille offendi hac nota poſſit, quem amicum, ut hactenus experiri malim. Tuas omnes in manum illuſtriſſimi Cancellarii non dubito perveniſſe, etiam binas illas, quas nudius tertius accepi. In iis certe per amanuenſem curandis nullam in me diligentiam aut feſtinationem deſiderari paſſus ſum. Erit ille proximis diebus varias ob cauſas mihi conveniendus: tum expiſcabor, an acceptas habeat compellationes has tuas; & habebit haud dubie, niſi illi eadem, quæ tu nuntias, à Domino Mullero ſuppeditentur de rebus Polonicis. Cave interim credas, officium mihi eſſe oneroſum, quod curandis ad Magnum Cancellarium tuis à me datur. Vale & me ama. D. Isbrandum tuis verbis frequenter ſalutavi: qui frequenter non minus te ſuo nomine reſalutari voluit. Iterum vale. Holmiæ Suecorum Anno CIƆ IƆ CLXV. a. d. XI. Nov. St. n.

Tuus omni officio

N. HEINSIUS.

EPI-

EPISTOLA LXXIV.

Nobiliſſime Vir.

SI ex eventu metiris ſtudia illa, quibus res tuas foveo, male mecum agetur profecto. adeo mihi ex voto meo aut tuâ ſententiâ nihil horum procedit hactenus. Nudius quartus denuo in villa ſuburbana nequicquam quæſivi illuſtriſſimum Cancellarium, cum is præter ſolitum in hac pernoctaſſet civitate. Ex illo ſemel iterumque rogatus eſt meo nomine, ut horam mihi condiceret congreſſui noſtro opportunam: quod facturum ſe promiſit, nec fecit tamen hactenus. Unde manifeſtum fit, curis illum graviſſimis diſtineri. & ſunt qui profectionem meditari dicant in Weſtrogothiam, ut fundos ſuos, quos in illa provincia luculentos poſſidet, uſurpet oculis cis paucos dies. Quod ſi fit, vix eſt, ut ante Februarias Kalendas ad nos revertatur. Interim gaudeo, ut qui maxime, reſponſi ab illo nonnullius compotem te factum. Si quid in rem tuam conferendum reſtat, id omnibus apud illum officiis effectum dare omnique conatu enitar. Miniſtrorum Britannicorum alter, qui ex aulâ Danicâ nuper admodum huc advenerat, ſua relegit veſtigia heſterno die, atque hinc profectus

fectus eſt eo animo, ut Gothoburgo in Britanniam ſolvat, ſi quas in illo portu naves Anglicanas eſt reperturus, de quo ambigitur. Animos Senatus Suecici perculit nonnihil ac turbavit nuntius, qui proximis diebus ad nos tulit, Oratores Gallicanos ex aula Britannicâ domum à Rege Chriſtianiſſimo redire juſſos eſſe; unde bellum atrox inter Regem utrumque ſit exſpectandum. Quare ægre omnino Sueci evadent, quin in partes rapiantur: qui paci indulgere otioque armorum maluiſſent, alio converſi conſiliis, ac rebus ſuis non alienis hac tempeſtate ſtudentes, ſi umquam. Miræ & atroces tragœdiæ in hac Europœa ſcenâ anno proximo, quantum apparet, exhibebuntur: niſi provideat & omina funeſta in melius convertat clementiſſimus Deus. Non deeſſe Principes, qui injuriâ à fœderatis Belgis ſeſe adfectos concredi velint, non me fugit, cum ipſi ſint immane quantum injurii. Videbunt illi fortaſſis plus amicorum nobis in rerum natura ſupereſſe, quam rebus ſuis conducere opinentur ultro. Pro indicibus rerum novarum proxime ad me miſſis multum profecto tibi debeo, præſertim pro epiſtola Chriſtianiſſimi Regis, quam nec Orator ejus Terlonius Eques, nec Dominus Isbrandius nec ego videramus. Upſalia necdum accepi reſponſum,

ſum. Vale & feliciter rem gere. Holmiæ Suecorum Anno cIↃ IↃ CLXV. a. d. XVI. Dec. St. n.

Quæ in epiſtolis & carmine adverſum Britannos à me dicta ſunt paullo acerbius, non eſt quod te offendant. Ab hoſte enim in hoſtes dicuntur, nec quicquam à me obſtat quo minus legantur iſta publice. Cum & in poëmatis meis huic genti non pepercerim.

EPISTOLA LXXV.

Vir Nobiliſſime.

TUas N°. 84. notatas, quibus reſcripſiſſe te opinor ad 49. meas, non accepi. Ne quidem illas, quas ſub idem tempus à Romero ad me perlatas oportuit. Quare ſi quid hæ complectebantur, quod ſcire mea intereſſet, aut exemplar litterarum ad me mittendum erit, aut repetendum ejus ſcriptionis argumentum. Is eſt rei publicæ ſtatus, præſertim poſt Danorum regem partibus noſtris adſcitum, ut non defuturi ſint, qui ex interceptis epiſtolis ad me pertinentibus erudiri ſe poſſe opinentur. Illuſtr. Rautenſeinium ad nos cogitare gaudeo. De hoſpitio cupio ego illi proſpectum tempeſtive. Sed cum non moneas, an ſolus cum familia

milia domum totam occupare velit, an cum aliis cohabitare, vix diſpicio, quid hic facto ſit opus. Domum vacuam ſupellectile inſtructam vix inveniet. Non invênit certe, cum huc adventabat Dn. Isbrandius. Itaque in ſuburbio Auſtrali domum ligneam, aut villam potius conduxit, cum ego in Boreali ſuburbio ſedem fixerim, ut alter ab altero vivamus remotiſſimi. In ſcazonte, quam mutari cupiebas, ea jam mutata ſunt, neſcio tamen an ſatis ex tua ſententiâ. Ad publica ut veniamus, legationem hic deſtinari in Britannias jam ex me didiciſti, puto. Quæ cum parari tamen tam cito non poſſit, præmiſſus eſt in aulam iſtam ex Regis hujus familiaribus Falcobergius, qui de legatione ſubſecutura Britannos moneat. Scripſi etiam Andream Lillieheuck in Poloniam publico nomine abiturum: qui mare apertum præſtolatur. Sed & Steno Bielke Regni Senator aulam Danicam eſt aditurus, atque inde Germaniam, publiciſne negotiis incubiturus an curaturus valetudinem dubiam incertum. Quod Danorum Rex & Elector Brandeburgicus partes noſtras amplexi ſunt, valde conſilia Anglicana turbavit. In hac civitate Comitia habebuntur menſe Junio proximo, ut ferunt. Tu vale & me ama. Holmiæ Suecorum cIↃ IↃ CLXVI. XVII die Martii Gregor.

Ajunt

Ajunt Budanam Bibliothecam ab Imperatore Conſtantinopolitano Cæſari munus oblatam, quo nuntio vehementer ſum gaviſus. Non enim dubito in illa latere ſcriptores cum Græcos tum Latinos complures hactenus ineditos. atque utinam Catalogum horum codicum ab amico nonnemine conſequamur.

Tuus

N. H.

EPISTOLA LXXVI.

Vir Nobiliſſime.

NEgotia noſtra lente hactenus, & nihil præter ſolitum, procedunt: quæ quem eventum ſint habitura haud pro comperto habemus. Portus Gothoburgicus piratis Britannis pro ſtatione eſt, in quem naves ex noſtris captæ tutò per illos abducuntur. Danis magnum minitantur Sueci malum: ſecuros præſtat adverſus hunc inſultum Rex Chriſtianiſſimus. Trahuntur & Principes Germaniæ plerique in partes. Maximos itaque motus video inſtare, niſi Deus adſit è machina, & adfuturum confido. Itaque hæc nunc tantum.

De

De Bibliothecâ Budanâ gaudeo omnem initam expectationis ſcrupulum mihi nunc per te exemptum eſſe, ut aliquando ſperare deſinamus de iis, quæ ſpem nobis nullam relinquunt. Auguror proximas tuas nonnihil ſignificaturas nobis eſſe, de Domini Rautenſtenii in Holſatiam appulſu. quem utinam ſalvum atque incolumem vobis ſiſti intelligam! Illuſtriſſimum Regni Cancellarium ubi conveniendi dabitur opportunitas, res tuas enitar promovere. Quamquam jam monui Dominum Rautenſtenium, quam omnia hic terrarum quæ rem pecuniariam ſtipendiariamque tangunt ſint in incerto. quo de negotio expertus loquor. Dominum Vladiſlaum Los huc adveniſſe jam ante diſceſſum Dominum Rautenſtenii compertum habebam. Sed cum ipſe Dominus Vladiſlaus hic in operto lateat, certe nemini Miniſtrorum exterorum adventum ſuum indicari curavit, quod ſciam, obſervo morem in aulis receptum, ut ignorare me profitear, quod ipſe ſciri non vult. Illuſtriſſimus Isbrandius ſolemniter te lubet ſalvere. Vale.

P.S. Præter Miniſtros Moguntinum & Palatinum, *ac illum, quem modo diximus, Dominum Vladiſlaum*, Luneburgicus propediem exſpectatur, niſi is jam huc advenit. Britannicus nudius quartus hinc diſceſſit, cujus in lo-

locum alius propediem exſpectatur. Vale iterum.

A Grutero accepi proxime epiſtolam, cui à me brevi reſpondebitur.

Nob. nomini ſuo devotiſſimus

NIC. HEINS.

Holmiæ Suecorum CIↃ IↃ CLXVI. a.d. 11. Junii Gregor.

EPISTOLA LXXVII.

Vir Nobiliſſime.

ANte hoc ſextiduum binas ſimul abs te accepi, merum mei amorem, ut ſemper, ſpirantes. Magnâ, ut, quod res eſt, dicam, nos perfudit voluptate nuntius de prælio navali Britannos inter & noſtros commiſſo ipſis Kalendis Juniis. Et quamquam arma noſtra, non minus, quam cauſa, illic prævaluerunt multâ cum hoſtilium capitum ſtrage, Britanni tamen, quotquot in hac ſunt civitate, tum Britannicarum partium ſtudioſi, quorum ingens inter Suecos eſt numerus, volunt credi, Victoriam nobis abnuiſſe. Addunt portum Texelanum, in quem ſe rece-

 perit

rerit claſſis noſtra, à navibus Britannis quadraginta bellicis obſideri. Sed quam hæc temere & falſo ſpargantur, propediem liquebit, ut puto. Illuſtriſſimum heroem plurimæ comitatis abundare in comperto eſt. Vellem tamen verbis officioſis parcius uteretur nonnumquam, præſertim ubi rerum teſtimonia utiliora verbis adhiberi poſſunt, uti in tuo nunc negotio, quod expediri tandem aliquando oportebat. De diſſidio Bullialdum inter & Thuanum ſi quid noſti certius, ediſſere quæſo. Novi utriuſque ingenium; & ſemper metui, ne quid hinc illinc turbaretur, cum alter indolis ſit liberrimæ, alter paullo ſeverioris, præſertim in domeſticos. Sed ſpero ſimultates componi poſſe interventu amicorum. Reginam Chriſtinam vobis jam adeſſe audio octavas meas, quas die IX. Junii menſis exararam ac tabellario ad te perferendas curaram, miror non perlatas eſſe: cum omnes meæ in unum eundemque faſciculum collectæ, quas illo die in patriam miſi, recte illuc pervenerint. Erant illæ breves omnino, & nihil rerum magnarum complectebantur, quas tamen tuæ in ſpem gratiæ deſcribam denuo & ad te mittam, ſi tanti id eſſe judicabis. (Hic terrarum nihil fit & apparatus navalis lente ac more ſolito procedit, cum nec Galli, nec Britanni, nec Batavi

tavi impenſas eo velint conferre, quæ domi fruſtra circumſpiciuntur.) Vale & memor vive tui quem noſti.

Holmiæ exaratum cIↄ Iↄ cLxvI. a. d. vII. Julii Gregor.

EPISTOLA LXXVIII.

Vir Nobiliſſime,

NEſcio quî factum eſt, præ multa feſtinatione, ut hæ, quas vides, & quas ante hoc ſeptiduum ad te miſſas eſſe oportuit, in ſcriniis meis hæſerint parum opportune. Quem errorem ut benigniter excuſes, etiam atque etiam te rogo. Britannos apud vos de rebus abs ſe feliciter in ultimo conflictu navali geſtis jactare multa perperam, non miror, cum & hic terrarum fecerint id ipſum hactenus. Sed convicti paulatim mendaciorum & falſi rumoris, manum dant veritati, præſertim fidem non invenientes uſquam, ne quidem apud illos, qui vera ab illis jactari mallent Batavorum partibus plus ſatis infenſi. Sed & illos eſſe injurios ſcito, qui paci convenientiora jam ante per Batavos Britannis eſſe oblata, quam nuper à Beuningio ſit factum, cupiunt credi. Factum

id quidem quodammodo per Oratores Gallicanos anno proxime elapſo in aula Britannica non negarim, illoſque promiſiſſe Regem Chriſtianiſſimum omni auctoritate incubiturum eſſe, ut Fœderati Belgæ iis conditionibus ſubſcriberent, ſed Batavi iis pollicitationibus ſemper oblocuti ſunt, eaſque improbarunt jam tum ac rejecerunt. Quid quod Procerum Suecorum plerique, æquas omnino nec temere rejiciendas pacis conditiones à Beuningio in medium prolatas eſſe non diffitentur. Sed quid apud illos æquum videatur, qui bello huic tam nulla de cauſſa tamque præter ordinem ſeſe accinxere, ſanguinem Batavorum crudeliſſime ſitientes? Meas die nono menſis proxime elapſi exaratas ad te perveniſſe gaudeo. Excerpta litterarum Bruſſelliarum, quæ promittebas, cùm tuis non comparuerunt. Lætor adeſſe vobis Sereniſſimam Chriſtinam, eandem & nobis ad futuram propediem auguror. Vale.

Exaratum Holmiæ cIↃ IↃ LXVI. a. d. XIV. Julii. St. n.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXXIX.

Vir Nobiliſſime.

ABſentia Procerum plerorumque, & dies per hanc aulam nunc feriati, omne ſcriptionis argumentum ferè præcidunt mihi. Huc accedit, poſtremas tuas perbreves fuiſſe, & quæ reſponſo locum vix reliquerint. Regis ſeceſſum Upſalienſem diſſuaſerunt Medici: quapropter nunc mutatum eſt id conſilium. Magnus Regni Cancellarius ne partem ſeptembris menſis potiſſimam abeſſe pergat, metuo. Adeo ægre in urbem proceres revertuntur, ubi ſemel inde digreſſi ſunt. Poëmatum meorum ex Cl. Lucæ Langermanni manibus jam te accepiſſe confido. Cometica ſua quantum promoverint & quando nobis ſint exſpectanda, doceas me rogo. Et actis Senatûs apud fœderatos Belgas publicis video gratias Rutero ſollemnes publico nomine actas eſſe ob rem fortiter ac prudenter, quamquam Marte ſic ſatis adverſo, geſtam. Trompii nulla illic fit mentio; quod mihi haud immeritò ſuſpectum eſt. Immo jubetur Ruterus ſevere inquirere in quoſcumque pugnæ ac partium ſuarum deſertores, deque iis omnibus ſupplicium ſine delectu ſumere. Quæ res ne & alterum illum tangat

metuo. Non quod à viro fortiſſimo ignaviâ imbelliaque ſit peccatum, abſit enim, ſed quod præ odio in ductorem ſuum occulto ſibi ac patriæ defuiſſe quodammodo poſſit videri. Utinam vanus ſim augur. Reginam ajunt propediem huc venturam eſſe. quod tu me potes docere. Vale, & rem feliciter gere.

Holmiæ cIↃ IↃ CLXVI. 11. Sept. Gregor.

Tuus quem noſti.

Terlonius eques & Orator Gallicanus perendie Hafniam hinc cogitat. Pacis ſpem Polonis adfulgere plurimum gaudeo.

EPISTOLA LXXX.

Vir Nobiliſſime.

NEſcio qui denuo ſit factum, ut ex famulitio meo puer, cui ante octiduum, ut ſoleo, obſignandum litterarum complurium, quas ad amicos exteros dederam, faſciculum commiſi, tibi inſcriptas hunc in ordinem redigere neglexerit, quas paucis poſt diebus ſummâ mea cum indignatione immenſâ expoſitas, aut potius aberrantes inveniebam. Ne inpoſterum hic rurſus peccetur, ope-

Digitized by Google

operam diligentiorem dabo: Ex tuis ecquas deſiderem jam cœpi dubitare. Nam pro iis, quas numero viceſimo notatas oportuit, binas accepi, quæ viceſimi primi notam præ ſe ferebant. Unam tamen hebdomadem ſine tuis alloquiis mihi effluxiſſe ſerus intelligo. Senatus Regni ferias vix tandem ſibi indixit, profecto hinc nudius tertius Cancellario, nec redituro ante Nonas aut Eidus Septembres Julianas. Cohortes nonnullæ militum veteranorum denuò ſubmittentur hinc Archiſtratego Vrangelio. ut de oppugnandis Bremenſibus res ſerio agi videatur. Sarmatiæ veſtræ calamitatem indigne fero. Utinam regionis tot jam annos modis atrociſſimis adflictæ Devs Opt. Max. aliquando miſereatur. Nam hoc θεῶν ἐν γουνάσι κεῖται: unde opem unice convenit ſperari. Apud nos etſi paullo meliore ſucceſſu geritur bellum, tamen ultimum conflictum navalem non eo cum ſucceſſu, quem optaveramus, utpote paci concordiæque inſtaurandis neceſſarium, nobis obtigiſſe doleo. Plures ex hoſtili claſſe naves deſideratas quam ex noſtra adfirmat Ruterus, ſed metuo tamen, ne Britanni omnia ſibi arrogantes ſolito more, maris ſe potitos glorientur ac victoriæ, idque jure nunc majori, quam nuper. Interim auguror, claſſem noſtram hoſti jam nunc denuo oppoſitam eſſe. De Gallis auxiliatori-

Digitized by Google

bus nil auſim addere: quando claſſem Bellifortianam ſuppetias laturam nobis eſſe tantum abeſt à quoquam Suecorum hac in aulâ credi, ut ludibrium omnibus debeamus, ſi id exſpectari debere præ nobis feramus. Upſalienſes amicos nil tuis repoſuiſſe, haud immerito quereris, nec mihi id facinus probatur aut placet. Quapropter illos in poſterum ingenio morique ſuo relinquendos eſſe ſuadeo. Tu vale, & hoc epigramma, ſi tanti eſt, boni conſule, non indignum fortaſſis, quod alteri addatur, cum neutrum in poëmatis meis compareat.

Effigies Cornelii Trompii ære expreſſa ad fœderatum Belgium.

Trompiades hoc ore tuus Neptunia proles,
Et patrii plenus numine Martis, erat.
Ipſo dextra viri ſpirat vel in ære triumphos:
Stragem hoſti gladius quo minitetur habet.
Hunc merito peperiſſe Thetis ſibi mallet Achille,
Cui mare plus decoris, quam tibi Troja, tulit.

Utinam vir ille, cui epigramma datum eſt, fervorem pugnacis ingenii temperaret ac coërceret

ceret paullo magis! Melius haud dubie & rei publicæ & ſuæ exiſtimationi conſultum iret. Sed anni fortaſſis dabunt, quod negavit indoles & natura. Iterum Vale.

EPISTOLA LXXXI.

Vir Nobiliſſime,

GAudeo mehercules maximum in modum, in manus tuas perveniſſe epiſtolam, quam ego poſt interrupta multo tempore ſcriptionis alternæ officia ad te non ita nuper dabam, etſi Laconicam omnino ac perbrevem, utpote ab ægrotante conſcriptam. Nihil enim æque ſum ſubveritus, quam ne ſuſpicareris, aut locorum intercapedini, quæ nos hinc inde divellunt, aut moræ temporis aliquid licere in ſtudium illud, quo res tuas conſtantiſſimo complector. Valetudo adfecta, quam diuturnam experior, in melius promovet, ut jam ſignificavi; ſed gradu teſtudineo plane. Et quid aliud ab hac omni tempeſtate tam cruda tam inopportuna exſpectetur? Nam, ne quid erres, nos in media adhuc hieme hic terrarum verſamur, continuato jam in quartum quintumque menſem gelu. Ita fit, ut pedem ex cubiculo non promo-

moveam, rerumque, quæ in publico hic fiunt, ſim quodammodo ignarus. Nam etſi non deſunt viri dignitate præcipui, qui ad ægrotum ſoleant viſere, complurium tamen ſub idem temporis ſpatium concurſus, facit plerumque, ut alter alteri diffiſus, ſermonem vix inſtituat, niſi de negotiis jam propalatis atque inore omnium verſantibus. Moſchos inter ac Suecos agitur de concordia utrimque inſtauranda. Sed ubi locorum potiſſimum hancce ob rem conventus publicus ſit inſtituendus, id necdum ſatis eſt deliberatum. Iſti negotio ut intereſſem aſſiſteremque, extra ordinem delegari me placebat nuper Patriæ Patribus. Verum ego mandatum, etſi honorificum multoque cum ſplendore conjunctum, ſum deprecatus, non permittente valetudine ullas itinerum aut curarum moleſtias. Quin & reditum ad meos ſub Kal. Junias mihi promittebam. Quod nunc timide facio, cum rumor ſit, Illuſtriſſimum Grotium Legationi Gallicanæ deſtinari. Qui ſi hinc avocatur, meis deſideriis vix erit locus, ut ſit tamen, operam, quantam poſſum, continuus dabo, ut dedi hactenus, apud amicos auctoritate pollentes & rei patriæ admotos. Optime conſultum ivit Rex Chriſtianiſſimus ſuæ exiſtimationi, quod ab Hiſpano bellum in Thracas convertit. Id ni feciſſet,

æmu-

æmulos complures ad arma compulſurus videbatur, & ſibi infenſos redditurus, quos amicos nunc experiri poteſt. Senatus Regni Suecani in res Polonicas oculos præcipue conjecit. Principem Arauſionis inter candidatos à Proceribus veſtris recenſeri jactatur à nonnullis, ſed perperam, ut puto. Nam niſi negotium religionis diverſæ à cæremoniis Romanis obſtaret, ad Electorem Brandeburgicum via propiore potuit medius fidius iri. Opus tuum de Cometis necdum mihi eſſe redditum, ſed Calmariæ etiamnum hærere, ubi hæreat ex naufragio ſervatum, alias puto ſcripſi. Vale, Vir Nobiliſſime, & mihi velle, ut hactenus perge.

Tibi devotiſſimus

NIC. HEINSIUS.

Lituris & inconditæ ſcriptioni quæſo, benignum te præſta. Holmiæ. XVI. April. CIƆ IƆ CLXVIII. St. n.

EPISTOLA LXXXII.

Vir Nobiliſſime.

EX nuperis meis didiciſſe potuiſti, ut quidem ſpero, negotium mihi fuiſſe diuturnum ac pertinax cum valetudine adverſa, nec fuiſſe tantum, ſed eſſe etiamnum quodammodò, niſi quod mali contumacia remediis adhibitis, lentum tamen in modum, paullatim magis ac magis concedit. Interdictum quidem mihi rigide à Medicorum filiis eſt ut omni animi contentione, ſic exarandis potiſſimum litteris, unde vires omni ope inſtaurandas fatigari dejicique immane quantum ſentio. Ut intelligas tamen præcipuè voluptati eſſe mihi tuas compellationes, quas per taciturnitatem meam abrumpi intempeſtive nolim, ajo binas tuas a. d. xx. & xxvii. Febr. exaratas recte ad me perlatas eſſe ſuo tempore, in quibus rerum Polonicarum ſtatum præſentem vivis coloribus deſcriptum mihi proponis. Galli utrumque vobis inviſi, non deſperant tamen ſe rerum apud vos potiri poſſe. Si animos invictos & auri æque ac ferri contemptores geritis, optime de vobis ſpero. Inviſum erat & Philippi Macedonis nomen inter Græcos; qui tamen aureo ejus imbre pleni rimarum perpluebant tan-

tandem. Hinc & omne vobis periculum. Sueci etſi & Gallum ſibi vicinum averſantur, tamen à Moſcho potiſſimum ſibi metuunt. Deſtinatus jam eſt ab hoc Rege Legatus in Poloniam Comes Tottius, vir inſignis ſane & plurima inſtructus virtute; qui hanc ſpartam non alio magis nomine, puto, adornabit, quam ut pro virili caveat, ne conatus ambitioſi Moſcho ex ſententia procedant. Orator fœderati Belgii Grotius ſignificavit mihi ac teſtatus eſt, ſe non ſemel jam ſcripſiſſe tibi, cœterum ſuſpicionem ſibi ſuboriri de litteris non recte curatis. quod neſcire te nolui. An meæ ad te perferantur, fac quæſo quamprimum intelligam, & Vale.

Tibi devotiſſimus

NIC. HEINSIUS.

Holmiæ Suecorum CIↃ IↃ CLXIX. XXIII. Martii. St. n.

EPI-

EPISTOLA LXXXIII.

Vir Nobiliſſime.

FAbii cunctatoris partes ſi præter morem meum agendas ſuſcepiſſe tibi videor, qui tam rarus ſcribam, indulgenter, ſat ſcio, habebis hanc ceſſationem, ubi intelliges, me toto jam quadrimeſtri tempore nil litterarum dediſſe ad illos, à quorum nutu res meæ pendent. Recens ſum à morbo diuturno, nec vires ſatis confirmatæ, minitante recidivam dubia valetudine & medicos habente ſollicitos. Sed & res publicæ privatis hiſce nihilo certiores apparent, adeo & illæ nutant fluctuantque, de quibus certi ſi quid promittas atque omineris, merito habearis confidentiæ plenus. Interim, quod ex rumore jam potes didiciſſe, Illuſtriſſimo Grotio Legationis in Gallias adornandæ partes auctoritate publica ſunt demandatæ. Et ſane, ut nunc ſunt tempora, requirit hæc ſparta ſollertem ac rerum peritiâ atque uſu pollentem virum. Metuo tamen, ne conſiliis meis mora objiciatur per hanc viri inſignis ex hac aula emigrationem, cum & ipſe ego reditum ad meos flagitem deſideremque vehementer. Illuſtriſſimus Regni Cancellarius Upſaliam conceſſit, quo abſente, in publicis parum

à

à Senatu ſolet præſtari. Ajunt illic ſub prælo typographico exerceri, & jam lucem ſpectare opus neſcio quod hiſtoricum, veteri lingua Gothica Iſlandicave conſcriptum, depromtum ex Bibliotheca herois noſtri, quod Regi dedicare deſtinarit. Accedet interpretatio Latina, per quam omnia etiam à nobis peregrinis poſſint intelligi. Cometographia tua nondum ad me perlata eſt. Nec per glaciem hactenus acceſſus è mari in hanc civitatem navibus præbetur: quod tamen propediem fiet, remittente jam nunc gelu. Comes Carlilius jam Regem vidit, etiam legatum noſtrum, ſed privatim. quando urbem publice ſit introiturus, nondum habetur exploratum. Poſtremæ meæ ad te iverunt die XVII. Aprilis St. n. Ex illo geminas abs te accepi: teque de rebus Polonicis graviter diſſerentem in iis cupidiſſimus audivi. Hinc quod nuntiare nunc poſſim, nil prorſus occurrit. Vale, Vir Nobiliſſime, & memor vive.

Tui

HEINSII.

Holmiæ Suecorum Anno cIↃ IↃ CLXIX. ipſis Kal. Maji Gregor.

EPISTOLA LXXXIV.

Vir Nobiliſſime.

NE in valetudinem ſilentii culpa ſemper ſit congerenda, nuper variis cum occupationibus luctandum mihi fuit, & quidem partem potiſſimam privatis ac domeſticis. Exorta enim lite hoc ante biennium me inter ac ſororis meæ maritum ſuper paterna hereditate, quam is me abſente adivit aliquanto incontinentius avidiuſque, ut mihi viſum eſt, indagandæ atque excutiendæ in ſcriniis capſuliſque meis fuerunt omnes litteræ, à parente ac agnatis proximis ad me jam olim conſcriptæ, per quas inficiatorem convincerem, atque adigerem ad reddendam rationem adminiſtratæ rei familiaris atque occupatæ. Nec infeliciter hoc in negotio ſum verſatus: invêni enim, quæ cauſam meam egregie tueantur, & adverſarios poſſint profligare, ni fallor. Atque adeo etſi diſceſſum hinc urgeo ac maturo jam pridem ipſe illud quoque contigit non præter votum, ut navis illa, quam mihi in Livoniam transfretaturo Rex parari juſſit, tarde ſic ſatis rebus neceſſariis inſtruatur. Sic ante abitum, conſuli à me potuit liti permoleſtæ, & ſine hiſce teſtimoniis in longum tempus duraturæ haud du-

Digitized by Google

dubie, quam ego judicatam quamprimum videre geſtio. Illuſtriſſimus Grotius die craſtini ſeſe abiturum hinc minatur. quando & navem uſibus meis deſtinatam præſto fore ſpes eſt. Sed comitabor per leucas quinas aut ſenas abeuntem Legatum, unde profectioni meæ mora dierum pauculorum incumbet. Inde Regi valedicturus ac Reginæ me ſiſtam. Omnia confieri intra tridui quatriduive ſpatium poſſunt. Si quid præterea procraſtinationis objicietur, à ventis erit, quod ominari nolo. Ad Ruthenos cum pervenero, diligentiorem me præſtabo, nec amicæ tuæ ac perquam jucundæ compellationi ſum defuturus. Tuas poteris curare ad tabellariis apud Rigenſes præfectum Jacobum Backerum: qui nunc eſt Holmiæ, & rem hanc ſibi curæ inprimis fore pollicetur, ne quid amicorum litteræ aut meæ in via aberrent. Rex equeſtri dignitate nuper per Britannicum Oratorem adauctus eſt: quod ut illi bene vertat, Deum veneror. Nudius quartus ſupremum diem hic obiit Lutzavius aulæ Regiæ Mareſchallus vir miræ probitatis & mihi perquam amicus. Hanc jacturam Rex indigne fert, multiſque lacrimis ubertim eſt proſecutus. Noviſſe virum in Reginæ comitatu potuiſti, cui inſerviebat tempore belli Sueco-Polonici. Tres poſtremas tuas,

Digitized by Google

XIV, XV, & XVI. videlicet probe mihi redditas, & cum Legato noſtro communicatas ſcito, qui in tranſcurſu aulas Luneburgicas, & alias è Germanicis complures, puto, nomine publico accedet. Vale, Vir Nobiliſſime, & feliciter rem gere.

Tuus omni affectu

NICOLAUS HEINSIUS.

Holmiæ. ciↄ iↄ clxix a. d. Aug. Juliani.

EPISTOLA LXXXV.

Vir Nobiliſſime.

CUm multa mihi occurrant permoleſta, in quibus & valetudo pertinax & lis annoſa & ingruens natali ſolo nunc bellum, recte à te numerantur, vix tamen eſt ut in tanta malorum hydra quicquam iniquius feratur a me aut indignius, quam quod te virum ad meliora natum cum fatis adverſis luctari jampridem intelligam: etſi haudquaquam ignarus, pectus te circumferre adeo munitum qua ſapientiæ qua pietatis præceptis adverſum hos inſultus, ut reliqui nos, quibus ex voto res parum procedunt, à te mutuari debea-

beamus, quo armemur contra fortunæ ſævientis injuriam. Quantum ad domeſticam litem, quæ mihi in foro nunc intercedit cum primæ neceſſitudinis propinquis, ſpes affulget, ut judicetur ea propediem mea ex ſententia. Quamquam ex tribus foris, quæ fortaſſis erunt obeunda, ut omni hac penitus moleſtia defungar, ad primos carceres etiam hareo, & in ipſo clivi hujuſce ſcrupoſi deſudo limine. Pro majore tamen laboris per quam incommodi parte habendum, collegiſſe hinc inde atque in ordinem redegiſſe, quicquid ad profligandam adverſariorum cauſam coducit: ut me etiam abſente reliquum negotii totius peragi quodammodo poſſit, niſi exploratum haberem, negligi ut plurimum ac trahi modis indignis abſentes. De morbo etiam, qui me toto triennii ſpatio quaſſavit ſine miſſione, polliceri mitiora incipio mihimet ipſi, neſcio an fruſtra, ex quo cereviſiæ rejecto potu, crudiore illo, calidam adhibere cœpi, cum theaherba decoctam. Jamque tempus ingruit, quo thermas Aquenſes adiri à valetudinariis eſt moris: ſed metuo, ne ſerus eo prorepam: adeo non deſunt hic, quam me morentur, vix peragenda ante æſtatis exortum. Sed vel ſola publicæ calamitatis cogitatio non ſinit me emergere ex abyſſo profundiore curarum: etſi ad

plenum timorem metus iſte nondum recidit. Nam & à propoſito avocari poterunt fortaſſis ante belli auſpicia, qui nobis extrema quævis minantur, etſi perſiſtunt in ferali propoſito, eſt cur auguremur non defuturam nobis opem ab illis, quorum æque ac noſtra inter eſt, tranquillitati publicæ decus illibatum conſtare. Certe, ni blandimur nobis ſpe fallaci, non adeo obtuſam atque occæcatam pectoris gerent aciem Principes è Germania ac Septentrione vicini, ut ſeſe per latus noſtrum confodi opprimique inermes patiantur. Sed hoc omne θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Niſi Pannoniæ Sarmatiæque ab incurſu Thracum finitimo metuendum cenſeret Romanorum Imperator, advolaret & ille credo inſtructus haud parva manu ad propulſandam à capitibus noſtris injuriam, quam rebus ſuis non poteſt non damnoſiſſimam experiri. Robur interim fœderatis Belgis haud modicum proxime acceſſit, ſtabilita Patres inter ac plebem militemque concordia, poſt demandatum Principi Arauſionis militare imperium. Itaque toti nunc ſumus cum in conſcribendo validiſſimo exercitu, tum in claſſe centenarum plus minus navium bellica inſtruenda. Artium interim bonarum incrementis præſentiſſimum incumbit periculum ab hoc tantæ molis apparatu, quæ ut neglectæ jampridem

dem apud nos jacent, ſic inter armorum inſanos ſtrepitus vix eſt ut erigantur. Kellerum pro virili rebus tuis conſulturum ne dubitato: ſed cum anguſtias ærarii Suecani habeam perſpectiſſimas, temerarius omnino ſim, ſi ſecunda quævis & ex voto proceſſura inde tibi ſpondeam. Cl. Hevelii ſtudia quo ſint loco non ſatis habeo compertum: niſi quod illum pulcherrimo conatu obſervationes novas mathematicas ajunt parturire, quæ ſub prælo typographico deſudent. Vale, Vir Nobiliſſime, & fortunam benigniorem, ut mereris, experire. Hagæ Comitum Anno cIɔ Iɔ CLXXII. a. d. XXVI. Martii Gregor.

EPISTOLA LXXXVI.

LETTRE DE

GUI PATIN,

à

CHRETIEN UITEMBOGARD,

Docteur en Medecine,

A Utrecht.

Monſieur mon Bon-Ami.

JE vous réponds en François, puiſque vous m'avez fait l'honneur de m'écrire en ce même langage.

Si Mr. vôtre neveu, retournant en ſon païs, paſſe par ici, je vous promets que je ferai pour lui tout ce qui me ſera poſſible, & l'aſſiſterai de tout ce dont il pourra avoir beſoin, juſques au fonds de ma bourſe. Ope, opere, operâ & conſilio juvabo hominem.

Mr. Godeau, *Evêque de Graſſe, eſt un excellent homme, petit homme, petit Evêché, mais grand en ſcience & en mérite. Il a fait le 2. Tome de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique in fol. qui*

qui ſe vent au Palais. J'aurai ſoin de la feuil-le, qui vous marque, de ſa Paraphraſe de l'Epître de S. Paul aux Romains, *& quand je l'aurai recouverte, je chercherai les moyens de vous la faire tenir. Je pourrai bien la mettre dans le premier paquet, que j'envoyerai à nôtre bon ami* Mr. vander Linden, *pour lequel j'attens quelques livres de Lion & même de Paris; ſavoir, les deux derniers Tomes du Galien Grec & Latin. C'eſt le VII. & le VIII. que je n'ai pû tirer, juſqu'à préſent, à cauſe du procés, qui eſt & qui dure il y a long-temps, entre la veuve de* M. Chartier *& les enfans du même, du premier lit. Ils le promettent toûjours en bref, mais il ne s'aquitent pas de leurs promeſſes. Je vous ſupplie toûjours de continuer fortement de m'aimer, & d'aimer auſſi* Mr. vander Linden, *qui eſt un brave homme, fort ſavant & bon ami. Liſez les* 13. *Theſes qu'il a faites* in Hipp. de circuitu ſanguinis. *Cela eſt fort beau.*

Ce 9. de Mars.

Enfin le Cardinal Mazarin *a tant tiré, qu'il ne tire plus. Il eſt mort dans le bois de Vincennes le Lundi* 7. *de Mars. Il y en a qui diſent qu'il n'eſt pas encore tout à fait mort mais qu'il eſt à l'agonie. Je le tiens mort,*

mais je croi qu'on le cele, juſqu'à ce que le Roi ſoit le maître de quelques gouvernemens, où il y a des Lieutenans, qui donnent quelque ſoupçon & font ombrage de leur fidelité. Il eſt tout à fait mort & ne mord plus, & ne mordra jamais; s'il ne mord le Diable en Enfer, où vont tous les tyrans, comme lui.

Je ſois bien aiſe que vous aimiez bien Mr. Serguerdius; *c'eſt un brave homme; il m'a fait l'honneur de me venir voir, avec* Mr. Stuart, *& nous avons bû enſemble. J'honore pareillement fort* Mr. Blaſius, *qui même m'a fait l'honneur de me citer dans ſon livre* in Veslingii Syntagma Anatomicum. *Helas! je ne ſavois pas qu'il fût au monde.*

Je vous promets que je ferai tout ce que je pourrai pour Mr. vôtre neveu, ſi j'ai le bonheur de le voir, lors qu'il paſſera par ici, avant que de s'en retourner en Hollande. Donnez en toute l'aſſurance poſſible à Madame ſa Mere.

Je vous ſupplie de dire à Mr. Timannus Geſſelius, *que je ſuis ſon trés humble ſerviteur, & que je l'honore bien fort. Je prie Dieu qu'il lui faſſe la grace de lui donner du temps, du loiſir, des forces & toute autre ſorte de moyens, pour achever ſa belle Hiſtoire. Je vous ſupplie auſſi de faire mes trés-hum-*

humbles recommandations à Mrs. Regius *&* Diemerbroek.

On parle ici d'un beau ſervice, fort ſolennel, que le Roi veut être fait la ſemaine prochaine, pour le Mazarin, *dans Nôtre Dame de Paris où ſeront invitées & aſſiſterent toutes les Compagnies Souveraines de Paris; ſavoir, Mrs. du Parlement, de la Chambre des Comptes, la Cour des Aides, l'Hôtel de Ville, l'Univerſité &c. Nous ne ſavons encore qui aura, la place du Cardinal Mazarin;* pro quo acquirendo multi fortiter & ſtrenuè occupantur. *C'eſt ce qu'a dit Juvenal:*

Summus, nempe, locus nullâ non arte petitus,
Votaque Numinibus non exaudita malignis.

Le Mazarin eſt mort merveilleuſement riche, en diamans, bagues, joyaux & argent comptant; ce n'eſt point de ſon patrimoine, mois de l'argent, qu'il a volé en France. On parle de ſon Teſtament; s'il eſt jamais imprimé, nous verrons là bien de la vanite & de la volerie. Vale, Vir Clariſſime, & me, quod facis, amare perge.

Tuus ex animo.

De Paris ce Jeudi 10. de Mars, 1661.

Epitaphe du Mazarin.

Ci git l'Eminence deuxiéme,
Dieu nous garde de la troiſiéme.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXXVII.

AUTRE LETTRE DU MEME.

Au Même.

MONSIEUR.

IL y a long-temps que je vous cherches & que je ſuis en peine de vôtre ſanté; c'eſt pourquoi je vous écrits la préſente. Je ne ſouhaite de vous autre choſe, que vos bonnes graces & la continuation de vôtre amitié, de laquelle j'ai maintes fois reſſenti de trés-bons & trés-agreables effets. On ne parle ici que du grand appareil de guerre, qui eſt en Hollande contre les Anglois. Mr. le Duc de Verneuïl, fils naturel de Henri IV. eſt parti pour Londres de la part de Roi, pour tâcher de faire la paix entre ces deux partis. Nous n'avons ici rien de nouveau, in re litteraria. *On fait à Lion une nouvelle édition du* Sennertus, *à laquelle ſeront ajoûtées* Epiſtolæ Medicinales Sennerti & Daringii.

Ce 12. d'Avril.

J'avois hier commencé cette lettre, dans le deſſein de l'achever & de vous l'envoyer dans 3 jours, par Leiden; mais voila Mr. vôtre ne-

neveu, qui entre & qui me rend vôtre lettre & les trois livres de vôtre part. J'ai été tout réjouï de le voir. Je vous remercie de tous vos préſens & du Calendarium Romanum. *Mon fils ainé meinera Mr. vôtre neveu, chez Mr. L'Eſchaſſier & y fera vos recommendations. On travaille tous les jours à l'impreſſion du livre de* Mr. Joncquet, *in folio, qui ſera intitulé* Hortus Regius Pariſienſis. *On nous promet qu'il ſera achevé vers la fin du mois de Juin : & moi je vous promets, de vous en envoyer un, dés qu'il ſera achevé,* per viam tutam; *ſavoir, par un Marchand, que j'ai en main, & qui trafique à Leiden. Ce ſera un bel ouvrage, fort copieux, & bien étoffé. Je tâcherai d'y joindre les deux autres que deſirez.* Terret me pertinax illa tua valetudo, & nimium frequens recidiva. *Il faut à ce renouveau que vous aiyez recours à la ſaignée du bras droit &* 8. *jours aprés du bras gauché, chaque fois trois palettes, au* 8. *onces ; & par aprés, vous ſerez purgé avec Sené & ſirop de roſes palles* 4. *fois de cinq en cinq jours.* Apage pulveres illos Chymicos, pillulas omnes, & omnia medicamenta ex aliis compoſita. *Je vous envoyerai auſſi le livre de* Mr. l'Eſchaſſier, *avec les autres. Voilà que je viens de le toucher & de le mettre à part. Aprés vous avoir donné tant de peine pour*

pour mes livres & mes curioſitez; je vous ſupplie de me permettre que je vous envoye le billet ci-inclus, pour quelques livres, que je deſire encore de recouvrir & pour le prix deſquels je ſatisferai ex jure & æquo. *Faites en à vôtre commodité, ſans que cela vous incommode. Je ſerois d'avis que Mr. vôtre neveu allât prendre ſes degrez en droit à Angers. Il en aura bon marché & de plus j'y ai des amis, qui auront ſoin de lui, tant de Médecins, que de Profeſſeurs en droit, auſquels je le recommenderai.* Te, ſorores omnes & tuam familiam ſaluto, cum D. Mart. Schookio & aliis faventibus. Vale, Vir Clariſſime, & me ama, *Pariſiis die Jovis* 16. *Aprilis* 1665.

Tuus ex animo

GUIDO PATIN.

Cl. virum & amicum noſtrum *Mart. Schookium* ex animo ſaluto. Quandonam veniet libri ſui *de Cereviſia* ſecunda Editio adaucta & illuſtrata. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.

Clariſſimo Viro

D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Ultraj.

IMmenſas & quàm poſſum maximas ago Tibi gratias, Vir Cl. pro tuo illo in nos amore, quo me Tibi ſemper habebis gratiſſimum debitorem. Singulari Dei Opt. Max. gratia & beneficio, hactenus vixi, & valeo: ut & Carolus meus, qui adhuc eſt in Germania: quod noviſſimas meas acceperis, gaudeo; de rebus noſtris vix habeo quod ſcribam, neque enim ſunt in pejore ſtatu quàm antehac, & vix meliore, ſed tamen quietiore. Somniator tamen non amplius ſomniat, ſed profundiore minuſque turbatiore ſomno noctes tranſigit. hîc habemus pacem in noſtra Gallia promulgatam, quæ utinam per multos annos ab omnibus ſervetur, & nihil habeat inſidiarum ex utraque parte. Tu vide utinam venias Pariſios, ut iterum Te videam, Tibique gratias agam, antequam ad plures abeam. Filius meus Robertus & nobiles duo Galli Te ſalutant, ut & ego quàm officioſiſſi-

ſiſſimè. Adoleſcentem Pariſinum bene moratum, & ſupra ætatis modulum ſapientem, qui haſce Tibi reddet, ſeriò Tibi commendo: eum quæſo amplectere & dilige, tam meo quàm ſuo nomine. Vale, qui valere dignus es, vive per quem alii vivunt, & me ama, qui ſum ære & libra tuus,

GUIDO PATIN.

Pariſiis, v. Junii, 1668.

EPISTOLA LXXXIX.

Clariſſimo Viro,

D. D. CHRIST. UTENBOGARDO,

Ultraj.

Dilectiſſimam tuam ſororem, Vir Cl. propter Te ut & Teipſum lugeo, ac de ejus obitu ſeriò doleo: ille quodammodo moritur qui ſuos amittit: adſit nobis Deus: quiſque ſuos patimur manes: nemo mortalium felix: ſed leviter ferendum eſt quod emendari non poteſt. Epiſtolam tuam ad D. Lantin. jamdudum miſi Divionem: gaudeo quod

quod tandem reverſus ſis in patriam cum firmâ valetudine. Pro ardenti illo tuo in nos & Car. meum amore, gratias ago ampliſſimas. Si quid ad me miſerit pro Te D. Lantin, illud fideliter curabo. Optimè inchoatum eſſe video negotium noſtri Caroli, ut nobis reſtituatur: quod certè tandem continget, & utinam vere proximo: neque enim ante fieri poteſt: tanta eſt negotiorum quæ in Aula tractantur, tarditas & difficultas. Tandem Rex noſter arma deponere juſſit Lotharingum, qui ut tempeſtatem bellicam & ſuæ patriæ certam ruinam effugeret, ſtatim paruit, & majori ceſſit: utinam perennet illa pax, & nihil habeat fraudis nec inſidiarum. *Caſp. Hofmanni Apologiam pro Galeno*, per D. Romphium ad Te miſi, quam an acceperis neſcio: quod ut ſuo tempore mihi ſignifies, enixè rogo: ut & quid ſentias de ipſo libro: certè totum illum magni facio, præſertim vero eam partem quæ eſt *de morbis & eorum cauſis.* Somniator nihil amplius ſomniat, ſed vivit & ſtat. Dii meliora piis. *Pariſiis*, 6. *Febr*. 1669. Vale, Vir Cl. & me ama.

Tuus ut ſuus,

GUIDO PATIN.

EPI-

EPISTOLA XC.

Generoſiſſimo ac Nobiliſſimo Viro,

D. STANISLAO LUBIENIECIO,

ISMAEL BULLIALDUS,

S. P. D.

THeatrum tuum Cometicum, Vir Generoſiſſime, munus eximium ac magnificum à Te mihi transmiſſum, Dominus Daniel Elzevirius Bibliopola Amſtelodamenſis tuo nomine obtulit tradiditque gratias de tam pretioſo opere, quod tam benevolo animo mihi largitus es, maximas Tibi habeo: quodque epiſtolas meas illi inſerueris, interque tot præclarorum virorum eruditas locum eis dare volueris, tibi valde obſtrictum me profiteor. In illis binis voluminibus tuis variorum hominum in phyſicis & Aſtronomicis exercitatorum opiniones & ſententias expreſſas, tanquam in ditiſſimo penu, paratas invenient, ac ſine laboris faſtidio, qui huic phyſicæ parti ſtudium impendunt, & hiſce meditationibus ac ſpeculationibus delectantur; quique pariter cum mundanarum rerum im-

immutationibus, ac converſionibus ſtupendis, Cometarum connotationem adhibent, ac conſiderationem conjungunt. Ingentem, quem ſuſtinuiſti, laborem in adornando tam magnifico opere, ſatis laudare cuncti non poterunt, proque impenſis haud mediocribus à Te factis non leve ac tenue præmium à Principibus & Magnatibus te referre jure merito debere, dubio procul ſunt palam aſſerturi. Dignam te adoream, ob exantlatos tot labores, erogatam pecuniam, ergaque literariam Rempublicam animum tuum munificam, ipſique inſerviendi propoſitum generoſum, ut obtineas cupio. Conditionem temporum noſtrorum tu ſatis noſti, quamobrem de illa monere te ſupervacaneum foret. Utilem Tibi operam meam commodare imprimis vellem, ut exemplaria multa illius tui operis apud nos diſtraherentur; ſed verum dicenti fidem adhibe, paucos hodie reperiri ejuſmodi librorum, qui ad pauciſſimos quidem pertinent, emptores; hoc inde ortum eſt incommodum, quod in privatorum loculis tenuior pecunia quam antea aſſervetur. Libros quotidie ſuos vendunt, qui de coëmendis olim cogitabant. Hiſtoriæ cœleſtis, operis in Aſtronomia primarii, omnino neceſſarii, omnibuſque nominibus commendabilis; Cometographiæ etiam celeberrimi Hevelii,

velii, in qua obſervationes exactiſſimæ & accuratiſſimæ continentur, tria aut quatuor exemplaria venundata vix ſunt. Longo temporis ſpatio ad divendendos ac diſtrahendos ejuſmodi libros opus eſt.

Illuſtriſſimum Dominum Bruſſellum reſponſi aliquid tibi repoſiturum non dubito, & gratias pariter acturum. Totus in exercendo munere Senatorio, litibuſque dirimendis ac judicandis occupatus eſt; & arctiſſima temporis interſtitia ad epiſtolas conſcribendas ſibi negotiiſque illis ſuffurari vix poteſt.

Ad me quod attinet, vitam privatam quamvis ducam, & aliena, fateor, negotia occupatum me non habeant, propria tamen aliquando mihi curas ſollicitudineſque injiciunt; ætaſque gravior, ſemeſtre quippe ſupra ſexageſimum tertium annum jam exegi, ad epiſtolarum ſcriptionem minus aptum ac idoneum, quin etiam tardum pigrumque reddit.

De opere tuo quid dicant aut ſentiant Academici noſtri hactenus non intellexi; illud evolvendi curam alicui ex ipſorum ſocietate ſunt forſan mandaturi. Schedam tuam amico cuidam tradidi, qui ut in Ephemeride τῶν σοφῶν de Theatro tuo Cometico mentio fiat, operam daturus eſt, idque ſe præſtiturum recepit.

De

De rebus Polonicis, cùm epiſtolam tuam, cui nunc reſpondeo, 28. Novemb. anno 1668. ſcripſiſti, aliter, quam hocce tempore, judicandum vel conjiciendum fuiſſe exiſtimo. De Principis Condæi in thronum evectione certas ſpes plurimi & in Polonia & in Gallia concipiunt. hoc ut ipſi contingat, omniaque ex voto cedant, toto pectore ac animo opto, voveoque. Verum multa ſunt, quæ, unicam fore electionem, faciunt, ut in animum inducere nequeam. Moſchus namque quamplurimos habet, qui partibus ſuis favent, eaſque fovent. Habebit aliquos ſibi faventes Lotharingus. Vereor imprimis ne Othmanicus Imperator, accedentibus Tartaris & Koſackis, maximarum turbarum in Comitiis futuris author ſit. Ipſius Poloniæ calamitatem, everſionemque reformido, ſi, quæ Gedano ante dies 25. ſcripta ſunt, vera comperiantur ac comprobentur, Koſackos ſcilicet, renunciato Poloniæ obſequio, ipſiusque excuſſo jugo, Othmanico Imperio, ut à Polonorum ſimulque Moſkorum dominatione ſe liberent, poſt deliberationes crebras, & inita ſæpius conſilia, ſeſe ſubdidiſſe ac ſubmiſiſſe. Quæ ab armis Muſulmanorum orbi Chriſtiano imminent pericula Deus O. M. avertat. Hiſpania quoque illius novi in Fezzano, Marrochianoque regnis exorti Im-

Digitized by Google

peratoris vires ſuſpectas habere, & ab illius inſultibus ſerio ae diligenter ſibi cavere debet.

Apud nos omnia, Dei beneficio inſigni, intus foriſque pacata ſunt. Sumptibus ingentibus ac cura non vulgari, propugnaculis muniuntur urbes, quas in Hiſpanico Belgio armis ac pactis Aquisgranenſibus Rex ſibi acquiſivit. Auxiliarem claſſem copiaſque Venetæ Reip. in Cretam ſubmittendas ipſe diligenter apparari juſſit, utque illac verſus quantocyus vel à faciant naves, curat. Ut tempori ad illam inſulam applicent, prævertantque deditionem aut expugnationem Deum impenſe precor. Vale Vir Generoſiſſime ac Nobiliſſime & me ama. Scribebam Lutetiæ Pariſiorum die ultima Martii anno 1669.

De illis voluminibus Irenopoli editis cum quibuſdam ſum collocutus, ſed emptores pauci apparebunt, cum pecuniam ſuam uſibus vitæ neceſſariam aſſervare unuſquiſque cogitet, & in eo ſtudium ſuum, hoc rerum apud nos ſtatu, collocet. Ante annos decem viginti vel triginta exemplaria hac in urbe empta fuiſſent, nunc vero vix quatuor aut quinque ementur.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCI.

Clariſſimo Doctiſſimoque Viro,

CHRISTOPHORO SANDIO,

S. P. D.

PETR. DAN. HUËTIUS.

Amſtelodamum.

ATtulit ad me nuper ex Hollandia Horthemellius Bibliopola quidquid ex demonſtratione noſtra Evangelica erat Amſtelodami editum, cum iſtic eſſet; quod à Vasbergio ad me perferendum accepiſſe ſe dicebat. Elegantior viſa eſt & concinnior operis accuratio quam ſperaveram, quamque ex decurtato & circumſito folio, quod miſeras, arbitrari potueram. Supereſt, ut poſtquam abſolutum erit omne opus, reliqua ad me tranſmittas: quod à Bibliopola veſtrate facile impetrabis. Libellos noſtros De Interpretatione, & De Origine Fabularum Romanenſium puto Elſevirium nunc tandem accepiſſe; jam diu enim Lutetia profecti ſunt. Tu velim hominem urgeas, ut ad eos recu-

dendos ocyus ſe accingat; quod & factu-
rum ſe recepit; neque alteri quam tibi, Viro doctiſſimo, diligentiſſimo, mihique, ut ſpero, amiciſſimo, eorum emendandorum curam dari patiaris. Rogavi Clariſſimum Monachum, ut Belgicam illam, de qua ſcribis, operis noſtri De Fabulis Romanenſibus interpretationem ad me mittat. Ex te vero Interpretis nomen ſcire cupio. Quæris à me unde acceperim notari Gabrielem Matth. 1. verſ. 20. nempe ex plurimorum Interpretum conſenſu, & ex ipſa quoque ratione, ac ſimilitudine veri. Vides enim in tota ἐνσαρκώσεως οἰκονομίᾳ adhibitum Gabrielem; quod ex Luc. 1. 11, 19, 26. facile intelligas. Conjecturam tuam de nomine Cataphrygarum probo & Laudo. Neſcire te ais quomodo congruat Turcorum opinio de pueris illis, quos virginibus natos putant, cum iis quæ profers ex Dialogo Muhammedi cum Abdia. Ego etſi Turcorum nugas præſtare non teneor, promtam tamen exceptionem ſuggeram: cum enim tria ſine maſculi opera prodiiſſe dicunt, Adamum, Arietem Abrahami, & Jeſum Chriſtum, non negant alia ſimilem ortum habuiſſe. Culpas quod ſcripſi pag. 315. lin. 50. *Danieli poſt futurarum rerum noſcendi avido*, & reponi vis, *poſt futuras res.* At ſcito Veteres ita ſæpe & elegan-

ganter eſſe locutos. Cicero 1. de finib. *Quarum potiendi ſpe inflammati.* Philippic. 5. *exemplorum legendi poteſtas.* Item, *Agrorum Latronibus condonandi.* De Univerſit. cauſa collocandi ſiderum. Terentius, *Date creſcendi copiam novarum.* Suetonius in Octavio, *Licentia diripiendi pomorum.* Agellius libr. 5. cap. 10. *Cauſarum orandi cupidus.* Phocas, *Quorum brevis uſus habendi;* & ſimilia ſexcenta. pag. 370. lin. 25. ſcribi jubes *Artabazani;* non, ut ſcripſimus, *Artobazani:* nos Herodotum ſecuti ſumus, qui *Artobazanum* appellat initio Polymniæ; Juſtinus *Artamenen.* pag. 487. lin. 28. peccatum putas in voce κλητίδος, quam παροξύτονον eſſe vis. Mihi rectum videtur κλητῖδος, ut κνημὶς, κνημῖδος. Sic optimæ Homeri editiones, Stephanica, Criſpiniana, & reliquæ omnes. Sic Romana Euſtathii. Sic Stephanus in Theſauro. Scitum eſt enim Grammaticorum, ſi in nominibus quintæ Declinationis acutus ſit in ultima ſyllaba, cui ſyllabæ vocalis inſit natura longa quæ retineatur in obliquis, acutum verti debere in circumflexum. pag. 561. lin. 35. פרקית *redemi:* Sic ſcribendum eſt; non ut putas פרקתי. Chaldaica vox eſt, non Ebraica. De cæteris tibi aſſentior. Vale, & amare, ſtudiaque noſtra juvare perge. Sangermani. A. D. VII. Cal. April. MDCLXXX.

EPISTOLA XCII.

BERNARDO SALIGNACO,

S. P.

à JESU-CHRISTO Servatore.

GEorgius ab Arminiaco, Rutenenſis Epiſcopus Clariſſimus, nuper ad me miſit Φλαυΐου Ἰωσήφου, ἱστορίαν Ἰουδαϊκὴν περὶ ἁλώσεως, rogavitque, pro veteri noſtra amicitia, ut, ſi quando hominem ἀξιόπιστον nactus eſſem, qui iſtuc proficiſceretur, eam tibi primâ quaque occaſione reddendam curarem. Lubens itaque anſam hanc arripui, & occaſionem tibi, Pater mi Humaniſſime, grato aliquo officio indicandi, quo te animo, quâ te pietate colerem. Patrem te dixi, matrem etiam dicerem, ſi per indulgentiam mihi id tuam liceret. Quod enim utero gerentibus uſui venire quotidie experimur, ut quos numquam viderunt fœtus alant, ab aëriſque ambientis incommodis tueantur, αὐτὸ τοῦτο σύγ' ἔπαθες, qui me tibi de facie ignotum, nomine etiam ignobilem ſic educaſti, ſic caſtiſſimis divinæ tuæ doctrinæ uberibus uſque aluiſti, ut quidquid ſum & valeo, tibi id uni acceptum, nî ſe-

feram, hominum omnium qui ſunt, aut aliis erunt in annis, ingratiſſimus ſim. Salve itaque etiam atque etiam, Pater amantiſſime, pater decuſque patriæ, litterarum adſertor ἀλεξίκακος, veritatis propugnator invictiſſime. Nuper reſcivi ex Hilario Bertulpho, quo hîc utor familiariſſimè, te neſcio quid moliri adverſùm calumnias Hier. Aleandri, quem ſuſpicaris ſub perſona factitii cujuſdam Scaligeri, adverſùm te ſcripſiſſe. Non patior te diutiùs animi pendere, atque hac tuâ ſuſpicione falli. Nam Scaliger ipſe Veronenſis eſt, ex illa Scaligerorum exſulum familia, exſul & ipſe. Nunc verò Medicum agit apud Agennates, vir mihi bene notus, οὐ, μὰ τὸν Δί᾽ εὐδοκιμαθεὶς, ἔστι τοίνυν Διάβολος ἐκεῖνος, ὡς συνελόντι φάναι, τὰ μὲν ἰα-τρικὰ οὐκ ἀνεπιστήμων, τ' ἄλλα δὲ πάντη πάντως ἄθεος, ὡς οὐκ ἄλλος πώποτ' οὐδείς. Ejus librum nondum videre contigit, nec huc, tot jam menſibus delatum eſt exemplar ullum; atque adeò ſuppreſſum puto ab iis, qui Lutetiæ bene tibi volunt. Vale καὶ εὐτυχῶν διατέλει. Lugduni, pridie Cal. Decemb. 1532.

Tuus quatenus ſuus

FRANCISCUS RABELÆSUS
Medicus.

EPISTOLA XCIII.

BARLÆO BERTALDUS,

S.

QUam mihi familiaris tui Vicofortii litteris ſalutem miſiſti æquum minime fuerit abſque ulla gratiarum actione dimittere. Pluribus quidem rependo quam dediſti ut qui pluris longe te faciam quam me debeas & quemquam poſſis. mihi igitur non ſuccenſeas ſi moleſtus ſim, ſed tibi potius, qui in me tam urbanus fuiſti. Memineras ut puto quam avidus fueram Hagæ comitis compellare te nec dubitare patiebatur antiquum illud erga te ſtudium quin tam benigne provocanti protinus adeſſem. Aliqua poſtulavit tuo nomine Vicofortius Carmina ſuſpicatus ſum eaque Latina nec Oedipo opus fuerat qui viri de hoc litterarum genere adeo bene meriti petitionem interpretaretur. Nunquam ab ingreſſu Muſarum in Gallias id nobis potius numerandi temporis ſignum ſit quam urbis aut Imperii primordium majori in pretio fuit latinitas. Nunquam Horatii fœlicitas gratior nec lepores Catulliani ſuaviores Galliæ noſtræ fuerunt addam ſi placet & Romæ ſuæ. Eli-

gunt

gunt jam mediocria ingenia hoc ſcribendi genus quod nonniſi paucorum cenſuris pateat, ſublimia vero quod omnium admirationi. Quæ publici juris ſunt difficile foret Epiſtolari faſciculo comprehendere tibique ab Elzeviriis tuis comparare facillimum. multa inſuper doctiorum hominum folia inter amicos lectitanda ſparguntur vulgo ignota. Horum & quædam habeo & plura habere potero ſi ulterius quæras. aliquos Balzacii elegos nunc mitto ſcriptoris inter noſtros celeberrimi quique jam neglecta quam adeptus eſt Gallicæ eloquentiæ palma jam Romanæ ſtudet: ſtatueram etiam ultimo ſcriptam odem illius gloria obtegere, pœnituit ſubito mendacii & mox animadverti nec poſſe me fraudem hanc perſpicaciæ tuæ ſubducere, nec debere labem iſtam inurere ejus nomini: meas ego nugas totus tibi approbo, ſat magnum præmium conſecutas ſi cenſura tua dignæ ſint cum æquiori æſtimatione non poſſint. Commutes quæſo ex Divinis tuis operibus aliqua: fateor quidem eo me animo ad te in præſentiarum ea mittere. exemplo Batavorum tuorum, qui nuces ſuas exteris diſtribuunt Gemmas reportaturi. Vale. Datum Pariſiis.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XCIV.

BARLÆO DORISLAUS.

Lugd. Batav.

SIlentium meum ſi bene te novi, cuivis potius impedimento quam negligentiæ imputabis. Dicas attamen, num publico ſilentio damnatus, & privatos alloqui prohiberis. Equidem incuſſus ob παρρησίαν ſupplicii horror non ad Litteras ſolum, ſed ad internas quoque cogitationes meas trepidabat: nec me ſolum prælectionibus & epiſtolis, ſed mei ipſius imaginationibus prodi putabam, donec omnis illa tempeſtas regii vultus ſerenitate diſcuteretur. Nunc reſtitutus in integrum ad colloquium tuum redeo à quo abfui nimis diu. Heros, Heros: quam futilis eſt natura mortalium, quam faſtidioſa ſuæ ſortis. Ego cum imperio ferulæ regerem Aulam meam, iniquitatem fortunæ culpabam, quæ me tam putido pulvere merſiſſet: Nunc cum in hominum lucem me fata protulerint ad alterius ſceptrum horreo & tacitis ſæpe votis ignobilem illam ſecuritatem exopto. Sed nolo nimis philoſophari. Tota hominum vita ambitione diſtracta eſt: & arduum illud iter ad

ad gloriam periculoſæ viæ ſimile eſt quam Phaëtonti ſuo depingit Apollo in Metamorphoſi. Non defuit etiam mihi meus conſiliarius qui vaſtum & altiora cupientem animum diſcriminum indicio compeſceret: ſed ille nec rectorem audiit nec habenas. Interim curru inſideo & fortunam meam rego, quam non deſeram niſi vi majore excuſſus. Si me putas hominem eſſe, crede nullum æquè caput atque tuum mihi charum eſſe. Vale. Valeant Uxor, Schrevelius, Jacchæus, & ſi quos alios alit Leida non indignos καρποὺς ἀρούρης. Iterum vale & me ama.

EPISTOLA XCV.

Eruditiſſimo Viro,

SAMUELI NÆRANO,

Scholæ Sedanenſis Gymnaſiarchæ.

Sedanum.

ISaacus Caſaubonus, Samueli Nærano S. D. Vellem tantum mihi eſſet aut facultatis aut otii, quantum eſt animi & voluntatis, tuo de-

deſiderio, Vir eruditiſſime, ſatisfaciendi: non dubitarem, quin ſi minus re, certe benevolentiæ ſignificatione, eſſem tibi vel cumulate ſatisfacturus. Nunc adeo curis variis & diverſo ſtudiorum genere ſum impeditus, ut diem diffindere, ἑαὼν ἀέκοντι θυμῷ, cogar. Quanquam, mi Nærane, ſi non penitus fallor, rem ſupervacuam à me petis. Quid enim tibi hac doctrina viro, monitore opus? Qui tantum profeciſti in itinere ſuſcepto, potes mihi perſuadere viam rectam te ignorare? Ego non puto, & non dubito, ſi ut cepiſti pergas, eo quo tendis eſſe te perventurum. Longum ſane iter ad doctas Athenas es ingreſſus: ſed amœnum Deus bone! & oppido fructuoſum. Nam qui ſine literis Græcis aliquid ſe putant in literis poſſe præſtare dignum in Minervæ arce poni; eorum fatuitatis, ſtuporis καὶ κακογνωμοσύνης me ſane pudet. Sed de his pluribus alias σὺν θεῷ φάναι. Gaudeo tibi eſſe commiſſam Sedanenſis Scholæ curam: idque munus bene tibi, bene Reip. literariæ evenire opto. Conſtituimus, ſi dabit Deus ὁ ἐπὶ πᾶσι, unum è meis filiis iſthuc mittere; ubi confido amicos me habere: quorum numerum per te factum eſſe auctiorem non parum lætor. Ea eſt futura occaſio mutuæ ſcriptionis inter nos ſæpe repetendæ. Ita velit, qui ſolus quicquid vult poteſt. Vale

Digitized by Google

le Lutetiæ Pariſ. XIII. Kal. Jul. cIɔ Iɔ CVIII.

EPISTOLA XCVI.

EIDEM.

ISaacus Caſaubonus, Nærano ſuo S. D. Quod dudum optabam, effeci tandem, ut filium meum ſtudiorum cauſa iſthuc mitterem. Si mihi ſatis compertus fuiſſet tuus ſtatus, rectâ ab urbis porta illum ad te proficiſci juſſiſſem. Nunc quia neque de voluntate neque de facultate tua ſatis liquet, egi cum amicis ut tibi quid animi eſſet viderent. Spero ſi tuæ res ferunt, non deteriore loco illum apud te futurum, quam cæteros, ſi quos forte habes. Tradita eſt vectori pecunia ad menſes aliquot, neque eſt quod verearis, ullam, Deo bene juvante, moram in eo futuram. Non delicate illum haberi volumus ego & mater, ſed commode & munde. Sed multo magis de ſtudiis ejus ſumus ſolliciti. Itaque, ſi ita evenit, ut tecum habitet, peculiari cura ut ejus ſtudiis invigiles obnixe à te contendimus. Pietatem imprimis doceri illum optamus, & cum pietate bonos mores. Eſt nobis alius minor ætate filius,

lius, quem vere ineunte, ſi Deus dederit, & hujus educationi benedixerit, eodem mittere cogitamus. Ita velit, ita faxit ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale vir eruditiſſime, & ſi me amas, novum diſcipulum habe commendatum. Lutetiæ Pariſiorum a.d. xv. Kal. Nov. cIↃ IↃ cviii.

EPISTOLA XCVII.

A MERIC CASAUBON,

Eſcholier

A Sedan.

M*Eric, Je ſuis bien aiſe que tu m'eſcris aſſés diligemment, & je ſerai encores plus, quand tu le feras plus ſouvent. pourveu que tousjours par tes dernieres je puiſſe cognoiſtre, que tu ayes profite quelque choſe deſpuis les precedentes.* Video te jam incipere themata Latina componere; ſed non ſine gravibus erroribus. Fac quotidie aliquid addiſcas. Exerce memoriam aſſiduè. Si iſthic docetur Terentius, volo ut eum librum à principio ad finem mandes memoriæ. Nemo Latine loquetur bene, qui Terentium non con-

Digitized by Google

contriverit. *Eſcris moi ſi par de là on lit Terence, & qu'eſt ce que on te lit. Sur tout ſois ſage; crains Dieu: prie le pour tes pere & mere, & freres & ſœurs. Honore tes præcepteurs, & leur ſois obeïſſant. Garde toi de perdre le temps.* Si ita feceris, Deus tuis ſtudiis benedicet. Scripſi ad tuum Præceptorem atque hoſpitem ne quid tibi deeſſet. Mater te ſalvere jubet, *& vous commende de baiſer les mains à Madamoiſelle Capel en ſon nom: comme je fais auſſi. A Paris ce* 18. *Sept.* 1609.

Ton Pere.

Is. Casaubon.

Saluta meis verbis Hottomannos fratres.

T EPI-

EPISTOLA XCVIII.

JACOBUS SADOLETUS,

S. R. E.

CARDINALIS

PHILIPPO MELANCHTHONI,

Suo S.

Carpentoracti cum eſſem, quo in loco ſtatutum habere me credens domicilium perpetuum vitæ fortunarumque mearum omnium; repente tamen inde diſcedere & Romam redire, juſſu Pontificis Maximi, ſum coactus. Sed cum ibi eſſem, accidebat mihi ferme quotidie, ut aliquid nanciſcerer de ſcriptis tuis; quæ ego, & propter excellens ingenium tuum, & propter elegantiam ſtyli atque orationis, libentiſſime legere ſolebam. Id cum ſæpius facerem magnaque in legendo delectatione afficerer, ſenſi paulatim mihi incendi animum ad quamdam benevolentiam nominis tui, uſque eo quidem, ut miro quodam ſtudio tecum ineundæ amicitiæ tenerer. Etſi enim nonnulla erat inter nos opi-

Digitized by Google

opinionum diſſenſio, ea tamen animorum diſſidium, apud ingenue eruditos minime faciebat. Jamque mihi erat deliberatum ſcribere ad te, primaſque aperire amicitiæ fores; cùm ſubitò, ut dicere cœperam, ad Urbem arceſſitus & per cauſam appropinquantis Concilii, earumque rerum tractandarum & conſiderandarum, quas mox in conſilio agi oporteret, è mea Eccleſia, ubi decennio manſeram, evocatus, Pontificis hujus optimi & prudentiſſimi judicio tacito, inſcius atque imprudens in ampliſſimum Ordinem S. R. E. Cardinalium cooptatus ſum. Hæc res effecit ut meæ voluntati, in dandis ad te literis obſequerer tardius. Non enim dici poteſt, ut ex illa priſtina, pacata, atque felice vita in hanc tumultuoſam & plenam ſtrepitus traductus ſum, quæ ſolitudines, quam multæ graves curæ, eædemque permoleſtæ me exceperint. Quod quidem mihi neceſſe fuit accidere. Hanc enim ego vitam & prius judicio fugeram, & alteram illam item judicio fueram proſequutus. Quarum nunc utraque, cum mihi contra animi ſententiam ceciderit, nec lætari poſſum habere me quod noluiſſem, & neceſſario doleo me amiſiſſe quod diligebam. Sed quoniam Deo parendum eſt de nobis ſic ſtatuenti, dabimus nos operam, quantum per ejus au-

xilium opemque licebit, ut honorem hunc rectè integrèque adminiſtremus. Quod autem noſtræ eſt inſtitutæ ſcriptionis, non eſt paſſus meus, mi Philippe, in te animus diutius hoc à me officium deferri, quin ut primum è turba & moleſtiis animus emergere cœperat litteras ad te darem & pignus meæ propenſæ in te voluntatis, & invitamentum in me tuæ; ſi id quod ego in te amando meæ exiſtimationi de tuis eximiis virtutibus tribuo: tu humanitati tuæ, ut me pari benevolentia complectaris eſſe dandum duxeris. Quod quidem te rogo ut facias, neque me ſitientem familiaritatis tuæ deſeras. Non enim ego is ſum, qui ut quiſque à nobis opinione diſſentit, ſtatim eum odio habeam. Arrogantis eſt hoc & elati animi non manſueti & comis, quas me potius ad partes natura mea vocat. Sed faveo ingeniis, virtutes hominum colo, ſtudia litterarum diligo; in quibus tu ut doctrinæ & ingenii: ſic amoris mei non mediocres partes poſſides. Nec dubito quin tu eadem mente & voluntate ſis præditus, etenim animo qui tam liberaliter artibus ingenuis excultus ſit, nihil agreſte neque aſperum ineſſe poteſt. Quo etiam majorem mihi ſpem virtus tua facit meas hoc apud te ponderis litteras habituras, ut qui locorum ſpatiis, disjuncti ſumus, animis tamen

men & benevolentia conjungamur. Quod ego maximè aveo expetoque, tibique prorſus perſuaſum cupio, in numero eorum qui te diligunt & florentem cupiunt, quorum magna eſt profectò, pro tui nominis celebritate, multitudo, me principem locum appetere, nihilque vehementius cupere, quàm dari mihi locum probandi tibi reipſa & declarandi amoris erga te me. In quo tu, ſi anſam mihi aliquam, occaſionemve meæ explendæ hujuſce cupiditatis præbueris, magno me abs te beneficio affectum arbitrabor. Omnia quidem, quæ tibi grata eſſe ſenſero, tanto ſtudio ac diligentia exſequar, ut nec fide quiſquam exſequi majore, nec benevolentia poſſit; ſicut & mea natura officii in primis colens, & ſuſceptus jam in te amor & perpetuum meum erga viros doctos ſtudium poſtulat. Vale, mi doctiſſime Melanchthon & nos tui amantiſſimos dilige. Romæ XV. Cal. Julii MD XXXVII.

Amantiſſimus tui

JAC. SADOLETUS
Card. Carpentoractenſis.

EPISTOLA XCIX.

Ampliſſimo, Celeberrimo Doctiſſimoque Viro,

D. CASPARO BARLÆO, Profeſſori,

JACOBUS CATZIUS.

S. P.

Litteras haſce vacuas & ſolas (quod noluiſſem) ad te jam mittere cogor, abſens à domo mea & occupatiſſimus, Vir Clariſſime, eoque nomine ut me apud uxorem purges, eſt quod velim. Demum, cum bono Deo reverſus, officio non deero. Paradiſum tuum vidi, & omnia in quovis genere te poſſe animadverti. In eundem, ut dicis, ſcopum collimamus, in quibuſdam tamen, ut video, differimus, tu Evam omninò Adamo conſentaneam, ego amicè refractariam depinxi, rationes tu & ego habemus, de quibus cum libuerit. Id autem in controverſiam rapi poſſe animadverti, An Adam cum Eva in Paradiſo conſueverit, cum demum capite 4. Geneſ. dicatur eum uxore uſum

uſum fuiſſe quæſtionem non vidi per aliquem tractatum, rationes tamen pro nobis eſſe fortiores judicare auſim. Tu, ſi quem ex profeſſo iſta tractantem vidiſti, judica. Rivetum video diſputare contra eos, qui propagationem in ſtatu innocentiæ negant: ad noſtram autem quæſtionem non accedit. Quæſtiones plures hic tractandas video, & quibus cum commodum erit. Iſtud jam à te quæſtum venio, cum inter alia matrimoniorum genera primum omnium, ſecundum Adami, tractaveris (quod & primum erit noſtri operis) Anno animus tibi pro Colophone tractandi Myſticam Chriſti cum Eccleſia conjugium, quod ultimum nobis erit. Ego, cum tenuitatis meæ hîc & ubique eſſem conſcius, ab alto rem repeto, & verbis præſtare conatus ſum quod re non poſſum. A principio orbis terrarum modum, quo Deus Eccleſiam Sponſam & ſingulos pios exerceat, carmine proſecutus ſum, & licet breviter pro rerum pondere, hoc agam, excrevit tamen opus in ſatis magnam molem, propter varietatem & multitudinem caſuum, tandem vitam Salvatoris & mortem attigi imo & diem mundi ſupremum, & in hymno finem facio. Tu vel ſi hymnum tantum in myſticum hoc conjugium pangere erit animus, gratum erit; vel ſi aliud vel aliter agere magis arrideat, nihil

impero, nullis meis obſervationibus aſtringo, ſed ordinem & omnia tibi relinquo, finem meum noſſi, eum dum tangis, mihi ſufficiet. De his nihil ſcripſiſſem, niſi prius uxori quod gratum videri poſſet miſiſſem, ſed quum id differre cogar ob rationes jam allegatas; & dies jam incommodos amicis viſendis, & forte meditationibus talibus magis aptos cum animadverterem, hanc petitionem facere auſus fui, Tu quid animi tibi ſit, cum placuerit indica, & uxori lectiſſimæ fœminæ dicas ſalutem plurimam. De captivis mutandis & liberandis Hollandiæ Ordines decreverunt, de quibus . . . . . tuo nomine me interrogavit. Vale, Vir Ornatiſſime, & nos ama. Hagæ 4. Decemb. 1634.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA C.

Celeberrimo Viro,

D. FLORIANO CRUSIO,

Medicinæ Doctori,

S. P. D.

MARINUS MERSENNUS.

CUm Illuſtriſſ. Baro de Wolzogen mihi ſpem fecerit, te meas literas æquo animo ſuſcepturum, Vir eruditiſſime, teque multa contra Atheos habere parata, quæ typis committantur, arbitratus ſum operæ fore pretium, ſi te monerem tempus non eſſe inſumendum in multis rationibus hinc inde conquiſitis, ſed uni tantùm aut alteri eſſe inhærendum, quæ, ſi fieri poteſt, ſit apodictica, & omnes lectores convincat. Quod ut fiat, debent aliquæ definitiones & quædam anomalia præmitti, quæ nequeant ab ullo jure negari, ex quibus poſtea concludatur Dei exiſtentia. Vide igitur quodnam axioma ſtatuere poſſis: quod longè difficilius quàm forſan exiſtimes. Si enim dixeris, ens à ſe,

id eſt independens, eſſe Deum: vel, nihil quod eſt finitum poſſe independens eſſe, multi non conſentient. Imo noſtri Geometræ putant Solem & alia ex ſe ipſis eſſe poſſe, licèt non ſint majora & perfectiora quàm ſunt: vel ſaltem non poſſe illud recipi pro pro communi notione ſeu axiomate; adeò ut æquè concipiant Solem eſſe talem ex natura ſua, eſſe ab initio ſeu ab æterno, ac concipimus idem de Deo. Sed & poſito malo & non-ente, non intelligunt quomodo Deus eſſe poſſit. Quemadmodum enim corpus infinitum aliud omne corpus expellit, ita ens infinitum omne aliud ens, & etiam non-ens expellit: & tamen dicimus eſſe mala, & entia particularia. Neque etiam recipiunt diſtinctiones formaliter aut eminenter, ſcholis difficultatem fugientibus proprias. Sed & cùm dices, Deum eſſe poſſibilem vel impoſſibilem; ſi poſſibilis, jam eſſe actu: Si impoſſibilis, ubi eſt implacantia? reſpondent ſe neſcire an implicet necne, neque illud poſſe demonſtrari. Qua de re monitum te velim, ne minùs utiliter labores. Ipſi tamen credunt per fidem Deum eſſe, ſunt enim Chriſtiani, ſed ratione fatentur & affirmant ſe non poſſe perſuaderi aut convinci. Pluribus aliàs, ſi tibi videatur, tam de hac quàm de aliis rebus agemus, ſive Phyſicis, ſive Geo-

me-

metricis. Si quem videris qui tibi in rationibus Muſicis & Mechanicis ſatisfaciat, monebis, ut mihi libros illos comparaee poſſim. Hæc ſunt quæ in præſentia ſcire te volui, quò tuum opus adeò ſit perfectum, ut omnes dociles & nulli veritati repugnantes convincat, & Deo Opt. Max. ***. quem nobis in omnibus propitium imploro. Vale Idib. Novemb. 1645.

Cùm ſcribere volueris, illuſtriſſ. Baro ſcribendi viam docebit. Amici, nobiles, juvenes, mercatores frequenter è Polonia hac veniunt, qui literas, vel etiam libros deferre poſſint, & hinc ad te ſimilia, ſi cupias, referre. Tranſſylvanum olim hîc vidi doctiſſimum qui diceret auctorem Magiſtrum in artibus Synadi ſcripſiſſe de Providentia numinis, quam tamen impugnabat. Deinde Enjedinum jactabas. Si duo iſti auctores reperiri poſſint, velim eos videre, pro quibus tibi pretium quod juſſeris refundere curabo. Jactant etiam alium aliquando Cracoviæ impreſſum, de tribus impoſtoribus, ſi videris illum. Eſt quidem apud nos ſimilis manuſcriptus, ſed Arabicè. Nunc non eſt tanta, ſaltem doctorum, in Europa cohors quæ neget Dei exiſtentiam, ac ii qui providentiam: neque ſunt tot Athei quot Theiſtæ, id eſt qui Deum ſolum abſque alio ullo legiſlatore admittunt, & qui non aliam

Digitized by Google

aliam credunt religionem, quàm à recta, quam ſe habere putant, ratione profectam. Quis verò poſſit iſtos expugnare? quippe referunt omnia quæ dicuntur de religionibus particularibus ad politiam: quod puto fuiſſe libri de tribus impoſtoribus inſtitutum. Sed de his fuſius, ſi reſcribere tuamque de his mentem aperire volueris. Deus Opt. Max. nos interim in vera fide ſervare, porroque illam adaugere velit, donec à nobis videatur Deus Deorum in æterna Sione.

FINIS.

Ha-

Harum Centum Epiſtolarum

I N D E X.

M. Lutherus Carolo V. Cæſ. p. 1.
M. Damaſus à Blyenburch B. Paludano. p. 4.
A. Walæus. H. Grotio. p. 11.
J. Caſp. Gevartio. H. Grotio. p. 13.
G. J. Voſſius H. Grotio. p. 18. 22. 91. 140.
Joanni Filio. p. 100. 105.
Cor. van der Mylen., 125.
J. Wouerius H. Grotio. p. 25.
Gilb. Jacchæus. H. Grotio. p. 26.
Jo. Tum. Boiſſizius. H. Grotio. p. 28.
Andr. Schottus. H. Grotio. p. 32. 40.
Adr. Maſius Taxiis. p. 47.
Gilpin. Bern. Paludano. p. 50.
Joannes Luidus Franc. Junio. p. 52.
D. Pareus Conrado Vorſtio. p. 60.
Joach. Camerarius Bernh. Paludano. p. 63.
Joh. Piſcator Conr. Vorſtio. p. 66.
Wilh. Zepperus Joh. Uitenbogardo. p. 71.
Rich. Thomſon Petro Scriverio. p. 75.
G. M. Lingelshemius. H. Grotio. p. 77.
Dan. Heinſius H. Grotio. p. 79.
Caſp. Barlæo. p. 133.
Iſ. Caſaubonus H. Grotio. p. 82.
Ad Eundem. p. 85.
Sam. Nærano. p. 286. 287.
Merico Caſaubono. p. 288.
Hector Bouricius. H. Grotio. p. 87.
P. Cunæus Caſp. Barlæo. p. 89. 113. 115. 137.
C. Barlæus Jacobo Petitio. p. 94. 98. 127.
P. Cunæo p. 118.
Corn. van der Mylen. p. 125.
Lud. de Dieu Steph. Goffe. p. 120.
J. Iſ. Pontanus C. Barlæo. p. 121.
J. Fred Gronovius H. Grotio. p. 29. 151. 160. 178.
Caſp. Barlæo. p. 168.
S. Johnſonus H. Grotio. p. 135.

Conſt.

Conſt. Hugenius. Caſp. Barlæo. p. 142.
Mericus Caſaubonus. H. Grotio. p. 146.
Andr. Argolus. C. Barlæo. p. 149.
G. Calixtus Matthiæ ab Overbeke. p. 156.
Ger. Voſſius. Ger. Fil. H. Grotio. p. 158.
C. l'Empereur. H. Grotio. p. 165.
Sam. Petitus. Sam. Sorberio. p. 166.
Erycius Puteanus Caſp Barlæo. p. 171.
H. Conringius. C. Barlæo. p. 173.
Colletet. C. Barlæo. p. 176.
A. Rivetus ad Mart. Lydium. p. 181.
S. Sorberius C. Barlæo. p. 185.
Conr. Goddæus P. C. Hooft. p. 188.
Fr. Martinius. P. C. Hooft. p. 190.
M. de Marolles à Staniſlas Lubienietski. p. 192.
Guido Patinus. C. Uitenbogardo. p. 197. 202. 204. 210. 213. 217. 219. 221. 225. 262. 266. 269. 270.
Nic. Heinſius St. Lubienietski. p. 227. 233. 235. 237. 239. 241 243. 245. 246. 249. 252. 254. 256. 258.
Iſmaël Bullialdus Staniſlao Lubieniecio. p. 272.
P. D. Huetius Chriſtoph. Sandio. p. 277.
Fr. Rabelæſus Bernardo Salignaco. p. 280.
Bertaldus Barlæo. p. 282.
Doreſlaus Barlæo. p. 284.
Jacobus Sadoletus. P. Melanchthoni. p. 290.
Jacobus Catzius Caſp. Barlæo. p. 294.
Marinus Merſennus Floriano Cruſio. p. 297.

ER-

Digitized by Google